



## CONGREGATIO GENERALIS XCVI

7 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, Ss. *Concilii secretarius generalis*:

Moderabitur 96 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. Leo card. Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio.

In hac congregatione, venerabiles Patres, vobis distribuitur fasciculus qui continet relationem super schema emendatum propositionum *de sacerdotibus*.

Commissio competens iuxta mandatum commissionis de coordinandis Concilii laboribus rationem habuit de omnibus animadversionibus factis a Patribus, missis nempe per epistulas. Et censuit aliquas emendationes iam nunc introducere in textum ita ut perfectior evaderet.

In hoc fasciculo, praeter relationem in qua haec omnia bene explicantur, habetur in latere sinistro textus vetus, nempe textus quem vos statuistis, venerabiles Patres; et in latere dextero habetur novus textus confectus, nempe melius, perfectus iuxta emendationes plurimas iam habitas a Patribus. Porro disceptatio et consequens suffragatio fiet, uti patet, super novum textum qui non est multum diversus a praecedenti et est perfectior... perfectior, uti dixi, iuxta animadversiones factas a Patribus.

Quapropter, si velitis petitiones porrigere ad loquendum, disceptationem vestram exhaurietis iuxta textum, uti dicam, novum, qui est in latere dextero. Ceterum, Patres venerabiles, si legetis hoc opusculum discetis quae nunc ego dico. Distribuetur itaque hic fasciculus.

In hac eadem congregatione generali prosequemur suffragationem circa schema *de Oecumenismo*. Postquam legi nomina eorum qui postulaverunt loqui circa schema *de apostolatu laicorum*, proponam suffragationem debitam circa integrum cap. II et postea prosequemur cum aliis suffragationibus de cap. III post lectas praescriptas relationes.

Ergo postulaverunt loqui circa schema *de apostolatu laicorum*, em.mi DD. cardd. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Michael Browne; deinde exc.mi DD. Remigius De Roo, ep. Victoriensis in Canada, Paulus Charbonneau, ep. Hullensis in Canada, Paulus Sani, ep. Denpasarensis in Indonesia, Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India, Leo Duval, arch. Algeriensis in



Algeria, Maurus Rubio, ep. Salmantinus in Hispania, Carolus Maccari, arch. Montis Regalis in Pedemonte in Italia, Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis in India, Aemilius De Smedt, ep. Brugensis in Belgio, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Stephanus Barela, ep. Czestochoviensis in Polonia, Carolus Wojtyla, arch. Cracoviensis in Polonia, Aloisius Bettazzi, ep. aux. Bononiensis in Italia, Owen McCann, arch. Capetownensis in Africa Merid., Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Caesar Antonius Mosquera, arch. Guyaquilensis in Aequatore, Antonius Caillot, ep. Ebroicensis in Gallia, Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Gerardus De Vet, ep. Bredanus in Neerlandia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Albertus De Vito, ep. Lucknovensis in India, Henricus Tenhumberg, ep. aux. Monasteriensis in Germania.

Statuto tempore, in hac congregatione generali, em.mus Moderator quaeret utrum possimus proseguere ad discutienda capita huius schematis *de apostolatu laicorum*. Nam disceptatio, prouti annuntiatum est, fiet imprimis de principiis generalibus sicut ordo praescribit.

Nunc audiat propositionem suffragationis circa caput integrum II *de Oecumenismo* [cf. vol. III, pars II, pag. 305-308].

Ergo, venerabiles Patres, placet, non placet an vero placet iuxta modum textus modo perlectus?

Qui suffragium ferunt *placet iuxta modum*, tradant assignatoribus locorum modos scriptos.

1 — Exc.MUS P. D. MAXIMUS HERMANIUK  
*Archiepiscopus Vinnipigensis Ucrainorum*

## RELATIO

### SUPER CAPUT III DE OECUMENISMO

#### Pars Prima

#### *De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione*

*Venerabiles Patres,*

1. In relatione generali super integrum schema Decreti De Oecumenismo, in fasciculo secundo istius schematis, sub titulo: « Declaratio altera de Iudaeis et de non Christianis », Vobis exhibito, in pp. 61-64 afferuntur praecipuae quaestiones a Patribus motae, tam relate ad Prooe-



mium et Caput hoc III in genere, quam relate ad I<sup>am</sup> eius partem, seu de Ecclesiis Orientalibus, in specie, ubi, in pp. 63-64 diligenter enumerantur omnes emendationes quae a Secretariatu introductae sunt in textum nunc Concilio propositum, ut, iuxta vota Patrum, primus textus istius primae partis Capituli III evadat clarior, concinnior et melius ordinatus. Quam ob rem, in hac nostra relatione particulari, ne patientia Vestra abutemur, nihil amplius de his omnibus dicere intendimus, referentes Vos, Venerabiles Patres, ad iam supra dicta.

2. Id, de quo nobis ibi verbum dicendum est, praestat brevissime indicare: quo modo et quibus mediis ista prima pars Capituli III dirigere intendit mentem et voluntatem omnium Catholicorum ad veram cognitionem et sinceram acceptationem huius magnae veritatis, quam nuper Summus Pontifex Paulus VI in sua allocutione inaugurali III sessionis huius Sacrosanctae Synodi tam clare expressit, dicendo scopum huius Concilii fore, praeter multa alia « ostendere instituta et formam Ecclesiae, tam in Oriente quam in Occidente, licet proprietates quasdam utrumque habeat, esse eiusdem naturae » (*L'Osservatore Romano*, 14-15 septembris 1964).

Aliis verbis, Venerabiles Patres, Secretariatus noster, gratissimo animo accipiens omnes Vestras animadversiones et emendationes, voluit, in apparando hoc textu, ut Ecclesia in promovenda actione sua oecumenica inter Christianos Orientis clare et auctoritative omnibus notum faciat, quod tam in obiectiva cognitione causarum dolorosae separationis inter Orientem et Occidentem, quam in omni sincero conatu scissionem hanc reparandi et pristinam unitatem inter eos restaurandi, omnes semper et ubique conscii esse deberent Orientem et Occidentem saepe saepissime revera non differre inter se nisi diversa expressione eiusdem veritatis dogmaticae, identicae praxeos liturgicae et similis disciplinae ecclesisticae.

3. Revera neminem fugit momentum historicum et dogmaticum istius veritatis, quae, cum rite cognita et fideliter observata, quam maxime conferre potest ad concordiam inter Christianos colendam et ad unitatem in Ecclesia Christi servandam: dum econtra, quando ignota vel in praxim non traducta, effectus quam pessimos pro tota vita ecclesiali Christianorum gignere et spargere potest, cum praemultis discordiis, acerbis accusationibus et quandoque plena cum condemnatione. Pro tristi exemplo talis habitudinis inter Orientem et Occidentem inservire potest casus schismatis tempore Patriarchae Caerularii, 1054, ubi Legatus Pontificius Cardinalis Humbertus, fere tres menses post mortem Papae S. ti Leonis IX, in sua famosa excommunicatione contra Patriarcham et eius asseclas, gratuito attribuit illis omnes haereses hoc tem-



pore in Ecclesia notas, et propter haereses sic gratuito illis attributas, omnes illos damnavit, etsi, ut ex historia hodie constat, in tota lucta hac nulla veritas dogmatica revera in dubium vocata fuisset.

Ideo, Secretariatus, mentes omnium ad peculiarem considerationem Ecclesiarum Orientalium convertens, in numeris 14-18 eiusdem Capituli III eorum propriam mentalitatem, historiam, traditiones liturgicas, spiritualitatem, ecclesiasticam disciplinam et indolem propriam in divinis tractandis breviter, sed clare et explicitè, ante oculos omnium Christianifidelium in lucem ponit.

4. Hisce dictis de natura et scopo Primae Partis Capituli III schematis De Oecumenismo, remanet nobis, ut obiectionibus, quae factae sunt vel fieri possunt, quantum possumus satis faciamus.

a) Secundum unum Patrem, prudentius esset auferre integrum Caput III e schemate De Oecumenismo, quia materia ibi pertractata implicat iudicia difficilia de quibus melius esset ut Concilium non agat, et ut exemplum citantur: N. 15, p. 20, linn. 36-38, et N. 17, p. 21.

*Resp.* Sed primus textus huius capituli, tamquam basis ulterius disceptationis in Concilio, fuit approbatus a Patribus die 21 novembris praeteriti per 1966 vota contra 86; et textus ita a Patribus approbatus iam in sessione II non fuit mutatus nisi ipsi Patres in suis animadversionibus ita petierunt.

b) Aliquis Pater difficultatem movet contra textum in N. 15, p. 20, linn. 28-29, ubi legitur: « Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis (nempe Orientalibus), Ecclesia Dei aedificatur et crescit ». In quonam esset malum separationis — rogat iste Pater —, si Ecclesia Dei aedificatur et crescit per Liturgias Ecclesiarum seiunctarum?

*Resp.* Omni sacramento valide et fructuose recepto crescit et aedificatur Ecclesia Dei, quia advenit vel augetur in animabus gratia Christi, Capituli Corporis Mystici. Hoc valet a fortiori de Eucharistia, quae est fons vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, ut clare dicitur in linn. 23-24 eiusdem numeri 15.

c) Plures Patres, postquam gratum animum expresserunt de debita mentione Ecclesiarum Orientalium tam catholicarum quam seiunctarum in nostro schemate facta, conquesti sunt quod in schemate nihil dicatur de munere peculiari Ecclesiarum Orientalium catholicarum in opere oecumenico.

*Resp.* Propter varias vicissitudines in variis locis inter Ecclesiam orientalem catholicam et orthodoxam existentes, ubi simul cum mutua aestimatione et amore in uno loco, aliquando sermo de necessitate suppressionis Ecclesiarum orientalium catholicarum auditur in alio, visum



est Secretariatui munus peculiare harum Ecclesiarum in opere oecumenico commendandi imprimis in hac duplici fidelitate servanda, scilicet: in plena fidelitate erga successorem Petri, super quem Christus aedificavit Ecclesiam suam; et in perfecta fidelitate erga traditiones eis proprias orientales, quae thesaurum ditissimum Ecclesiae Christi constituunt et signum visibile eius catholicitatis realiter manifestant. Quia per hanc duplicem fidelitatem facilius via aperitur ad dialogum cum fratribus orientalibus seiunctis et consequenter ad opus reconciliationis.

5. Secretariatus cum vero gaudio satis fecit propositionibus multorum Patrum conciliarium orientalium, qui postulaverunt aliquam communicationem in sacris cum fratribus seiunctis, proponendo in N. 15 istius capituli III, p. 20, linn. 36-40 principium quoddam generale de hac re.

#### CONCLUSIO

His omnibus dictis, rogamus Vos, Patres venerabiles et Fratres carissimi, suffragio vestro confirmare quae Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam maxima cum diligentia ad mentem Vestram in hac re praeparavit, ut ducente Spiritu Sancto et auxiliante Beatissima Deipara tam profunde et tam tenere in Oriente christiano venerata, opus hoc conciliare horam novae periodi in historia Ecclesiae annuntiet et omnes Christianos ad pristinam et germanam unitatem Ecclesiae Christi pro salute mundi quam citius perducatur.

*Moderator:* Gratias agimus relatori, et nunc statim audiamus relationem complementariam super cap. III quoad partem secundam.

2 – Exc.MUS P. D. IOANNES HEENAN

*Archiepiscopus Vestmonasteriensis*

#### RELATIO

SUPER CAPUT III DE OECUMENISMO

#### Pars Secunda

*De Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus in Occidente seiunctis*

Titulus partis secundae Capitis tertii mutatus est propter multas a Patribus interventiones factas. Coetus nempe ex divisione occidentali orti non sunt tantum summa seu congeries Christianorum individuorum, sed constituuntur elementis socialibus ecclesiasticis, quae ipsi ex com-



muni patrimonio conservant et quae ipsis characterem vere ecclesiam conferunt.

Loquentes in titulo de Ecclesiis et de Communitatibus ecclesialibus omnes comprehendere volumus qui nomine christiano decorantur. Minime tamen in quaestionem disputatam intramus, quaenam requirantur, ut aliqua Communitas christiana theologice Ecclesia vocari possit.

Communitates, de quibus in hac parte agitur, non iam ut in priore redactione « inde a saeculo decimo sexto exortae » vocantur, sed « in Occidente seiunctae ». Quae expressio melius correspondet factis historicis.

Secundum emendationes a pluribus Patribus propositas, servata huius partis structura, novus expositionis modus nunc proponitur. Aliarum Communitatum descriptionem dare minime voluimus; potius quatuor puncta in textu elaborata, scilicet Christi confessio (n. 20), Sacrorum Librorum studium (n. 21), vita sacramentalis (n. 22), vita cum Christo (n. 23), ex una parte elementa omnibus Christianis communia in lucem ponunt, ut fundamentum sint pro dialogo cum fratribus seiunctis. Ex altera parte, tamquam pars huius dialogi in unoquoque numero breviter indicantur illae doctrinae, de quibus dissensus existit inter fratres seiunctos et nos. Haec temperata et aequilibrata praesentatio satisfacere vult difficultatibus illorum Patrum, qui solliciti erant de evitando ex una parte proselytismo, et, ex alia parte, periculo indifferentismi.

Conclusio (n. 24) accipienda est ut conclusio trium capitum, non mere ut conclusio huius partis. Summarie igitur indicantur principia generalia ex quibus totum opus oecumenicum inspirationem suam trahere debet, nempe fidelitas erga fidem catholicam nobis per Ecclesiam traditam necnon fidelitas erga impulsionem Spiritus Sancti qui omnes Christianos ad unitatem a Christo volitam acquirendam movet.

Piae memoriae Ioannis vigesimi tertii mentem sequens Summus Pontifex Paulus Sextus gloriose regnans saepe saepius nobis in mentem revocavit quod Concilium nostrum Vaticanum Secundum habet finem tum pastoralem tum oecumenicum. Nobis in Secretariatu videtur quod schema nostrum dat principia quorum ope voluntatem Summi Pontificis adimplere possimus.

Sacerdotes et Christifideles ad Patres Concilii tamquam duces aspiunt. Fratres nostri carissimi, seiuncti quidem, spe autem christiana et oratione arctissime nobiscum coniuncti, cooperatores nostri magis et magis esse volunt. Mundus tandem universus exitum huius suffragationis expectat. Etiam homines sine religione viventis declarationes nostras de unitate Christianorum scrutabuntur. En oportunitas nostra demon-



strandi quod hodie sicut in temporibus subapostolicis Christiani amore fraterno cognoscuntur! Voce unanimi, venerabiles Fratres, beneplacitum vestrum ostendatis.

*Secretarius generalis:* Lego, venerabiles Patres, textum primae suffragationis circa cap. III, quae est XI suffragatio (*de Oecumenismo*). Videatis pag. 19 [*cf. vol. III, pars II, pag. 310, n. 13*]. Placetne an non placet, Patres, hic textus?

*Moderator:* Nunc statim transitus fit ad schema decreti *de Apostolatu laicorum*, et audiamus relationem ab exc.mo D. Francisco Hengsbach, ep. Essendiensi in Germania.

### 3 – EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH

*Episcopus Essendiensis*

#### RELATIO

#### SUPER SCHEMA DECRETI « DE APOSTOLATU LAICORUM »

Mens huius Concilii erat, uti scitis, iam in altera Periodo sua discutere Schema « De Apostolatu Laicorum ». Cum tempus ad hoc non sufficeret, in ultima Congregatione Generali illius Periodi brevissima iam Relatio proponi potuit, in qua de genesi, de argumentis necnon de emendationibus Schematis quaedam dixi.

Cum nunc ad ipsam discussionem Schematis accedamus, amplior Relatio desideratur, idque eo magis, quod Schema interea profunde revisum sit. Huic Relationi duo praemittere velim.

#### Pars prima

#### ANIMADVERSIONES PRAEMITTENDAE

##### 1. *De nexu nostri Schematis cum aliis.*

Non tota quaestio laicatus in Ecclesia in hoc Schemate tractatur. De rationibus theologicis eius agitur praesertim in capite quarto Constitutionis « De Ecclesia », ad quod componendum quaedam elementa, a nostra Commissione praeparata, transmitti potuerunt; ideo de his fundamentis theologicis fusior explicatio in nostro Schemate non iam desideratur. Aliqua tamen, votis Patrum obsecundantes, in primo capite iterum restituimus.



Magnam dein partem materiae in nostra Commissione praeparatae transmisimus ad Schema « De Ecclesia in mundo huius temporis », in quo exarando nostra Commissio una cum Doctrinali collaboravit.

Etiam in aliis Schematibus plura inveniuntur quae materiam nostri Schematis tangunt, v. gr. in Decretis De pastoralis munere Episcoporum in Ecclesia, et De instrumentis communicationis socialis, in Propositionibus De sacerdotibus, De activitate missionali Ecclesiae, De scholis catholicis, in Voto De matrimonii Sacramento.

Quaestiones multas iuridicas reliquimus Commissioni ad reformandum Codicem Iuris Canonici.

Quod multas quaestiones magis particulares attinet, Commissio deliberavit, an expediret conciliariter decernere ut aliquod Directorium postconciliare conficeretur. Rem reliquimus conferentiis episcoporum et ipsis laicis in apostolatu Ecclesiae constitutis.

## 2. De *genesis actualis textus*.

Habent sua fata non solum libelli, sed etiam Schemata conciliaria. Illud, quod prae manu habetis, in sua *genesis* tres gradus percurrit, unum in Commissione Praeparatoria, duos in Commissione Conciliari. De lineis principalibus huius *geneseos* agitur in Relatione scripta, quae Schemati nostro typis impressa additur, inde a pagina 24-26. Ne abutar patientia vestra, hanc partem omittam. Solummodo ea indico, quae ultimam phasim respiciunt, i. e. post Periodum alteram Concilii. Hoc tempore Commissio nostra, ratione habita animadversionum quae a Patribus Conciliaribus usque ad mensem ianuarii 1964 pervenerant, textum revisit, eamque substantialiter iterum, votis Patrum et mandato Commissionis de coordinandis laboribus oboediens, contraxit. Non tamen reduxit textum ad aliquas tantum Propositiones, cum talis reductio votis Patrum et exspectionibus Laicorum, spectato fine Concilii, vix satisfecisset. 7 conferentiae episcopales, 85 Patres conciliares coniuncti et 74 Patres individualiter miserunt animadversiones sive generales, sive quoad particularia. De examine et selectione propositionum a Patribus conciliaribus missis agit tertia pars Relationis antea citatae in textu typis impresso Schematis pag. 29-58.

Praeiacens forma textus in quinque subcommissionibus initio mensis martii, in pluribus sessionibus plenariis Commissionis discussa et dein unanimiter in forma praeciante approbata est. Si cum priore comparatur, haec puncta principaliora distinctionis apparent:

a) Quantitas novi textus ad quartam partem textus antecedentis reducta est.

b) Nova plane habetur divisio materiae. Derelicta est vetus divisio in Partem Generalem ac Specialem, et huius subdivisio in apostola-



tum ad directe promovendum regnum Dei, in actionem caritativam et actionem sociale.

Hac divisione nova superata sunt quaedam inconvenientia, quae in vetere textu, ut plures Patres animadverterunt, ex rationibus in genesi textus fundatis, ordinem dicendi nimis complicaverunt; eliminari potuerunt plures repetitiones. Qaedam forte nimis particularia ad tractationem postconciliarem remitti potuerunt.

At tacere non possumus ex reductione tam ampla textus etiam multa incommoda secuta esse, praesertim hoc quod in textu praeiacente quaedam quaestiones de apostolatu laicorum, v. gr. formatione, de formis, de campis eis tantummodo adumbrari potuerint.

Novus textus inde a mense Maio huius anni missus est Patribus. Initio huius tertiae Periodi Commissio examinavit novas animadversiones Patrum, quae a 3 conferentiis episcoporum et 10 Patribus singulis missae sunt. Quasdam parvas iam emendationes textui inserendas esse decrevit, quarum conspectum invenietis in appendice huius novae Relationis impressum. In quibusdam aliis Commissio textum adhuc post discussionem in aula perficere vult, de quibus in fine huius Relationis quaedam addere liceat.

## Pars secunda

### DE HIS QUAE IN SCHEMATE CONTINENTUR

#### a) <sup>1</sup> *Prooemium.*

Nexus statuitur ad Constitutionem dogmaticam « de Ecclesia ». Rationes quaedam enumerantur specialis momenti quod apostolatus laicorum nostris temporibus habet. Indicatur finis practicus et pastoralis decreti.

#### b) I: *De laicorum vocatione apostolica.*

1. Hoc caput tres numeros continet: 1. de participatione laicorum in missione Ecclesiae (n. 1), 2. de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo (n. 2), 3. de formatione apostolica (n. 3).

2. Textus resumit, ratione habita specialis finis Schematis, ea quae magis systematice relate ad apostolicam laicorum vocationem proponuntur in capite IV Constitutionis « De Ecclesia ». Describit naturam apostolatus Ecclesiae et insistit in vocatione omnium fidelium ad participationem in eo, explicat eius fundamentum sacramentale, eius ambitum, temporalia quoque attingentem. — Commemorat ea elementa quae ab omnibus praestari possunt, orationis scilicet, conformationis cum Christo patiente, testimonii vitae, evangelisationis et irradiationis in variis so-



cietatis campis. — In numero de formatione insistitur in eius connexu cum omni educatione christiana, in eius compositione ex elementis et doctrinalibus et empiricis, theoreticis et practicis; in eius adaptatione ad varias condiciones formandi; enumerantur quibus incumbat, et statuitur ut apta habeantur centra ad eam praestandam.

3. Vitanda nobis visa est terminologia apostolatus in sensu stricto et in sensu minus ad indicandam distinctionem inter munus apostolicum hierarchicum et laicorum, ne controversiae doctrinales dirimi videantur.

4.<sup>2</sup> Evitantur etiam terminologiae quae ab aliis aliter intelliguntur, quamvis in multis regionibus adhiberi solent, si de apostolatu laicorum sermo fit, v. gr. distinctionis inter apostolatum directum et indirectum, distinctionis inter apostolatum « evangelisationis » et « consecrationis mundi ».

5. Contra nonnullorum Patrum placita, Commissio proponit ut retineatur etiam ut ad apostolatum fidelium pertinens activitas eorum ad res temporales spiritu christiano imbuendas; pariter ut etiam orationis et mortificationis opera, spiritu apostolico praestita, exercitio apostolatus proprio adnumerentur.

c) II: *De communitatibus et vitae ambitibus.*

1. Hoc caput post introductionem aliquam quae declarat agi hic de variis campis apostolatus (n. 4) quattuor imprimis considerat: familiam (n. 5), Ecclesiae communitates, i. e. paroeciam, dioecesim necnon universalem Ecclesiam (n. 6), proprios laicorum ambitus (n. 7) et coetus omnibus patentes (n. 8).

2.<sup>3</sup> Familia non tantum ut campus sed etiam ut subiectum apostolatus consideratur. Ponitur in primo numero, quia primum campum apostolatus pro fidelibus constituere solet in ordine temporis et ambitus naturalis. Quaedam formae apostolatus eius nimis particulares, v. gr. erga adiutrices et adiutores domesticos, affines et vicinos, dolentibus quidem aliquibus Patribus, omissae sunt ratione abbreviationis.

3. In numero de Ecclesiae communitatibus, ex voto Patrum, quaedam formulae veteris textus quae clericalismum sapere videbantur, emendatae sunt. Retinendus videbatur ordo procedendi a paroecia ad dioecesim, spectato fine huius capituli. Magis tamen insistitur in colendis relationibus interparoecialibus propter necessitates pastorales modernarum urbium et regionum ruralium, et ultra fines dioeceseos et nationis pertinentibus, v. gr. in eis qui in alienis nationibus laborant vel auxilium praestant.

4. Pro apostolatu in proprio ambitu exercendo commendantur in



novo textu investigationes scientificae horum ambituum et studia respectiva etiam ad structuram sociales transformandas secundum Evangelii doctrinam.

5. Ultimus numerus respicit illos coetus qui omnibus, i. e. fidelibus et non fidelibus, patent. Vitatur omnis modus dicendi qui offendere possit. Insistitur in necessitate specialis formationis ad hunc apostolatum exercendum, sed modus determinatus quo consociationes ad eundem fiant, relinquitur variis regionibus particularibus, cum propter diversitatem adiunctorum hac in re normae generales vix statui possint.

d) III: *De finibus assequendis.*

1. Iuxta obiecta distinctio habetur variarum specierum apostolatus, quibus respondent propriae agendi rationes; quae tamen distinctio non tollit concretam unitatem apostolicae operositatis laicorum, qui simul fideles et cives sunt; ita post positum principium huius distinctionis et unitatis in primo aliquo numero (n. 9), caput agit de duobus obiectis distinctis apostolatus, scilicet de hominum conversione et progressu ad Deum (n. 10) et de ordine temporali christiano spiritu animando (n. 11). Commissio quaesivit mediam rectam viam inter vota eorum Patrum, qui apostolatum laicorum aut ad prius aut ad alterum obiectum plus minusve restringere videntur. Actioni caritativae, quae ad utrumque pertinet, propter eius speciale momentum datur numerus proprius (n. 12). Uniuscuiusque modi apostolatus indicantur natura, condicio historica, qualitates et dotes.

2.<sup>4</sup> Substituta est locutio « de regno Dei directe promovendo » per meliorem descriptionem obiecti immediati prioris modi, i. e. hominum « conversionis et progressus ad Deum »; in textu adhibentur etiam voces « verbum Dei nuntiandi hominesque sanctificandi », quibus in multis regionibus haec pars apostolatus designatur. Amplior ei — post vota quaedam Patrum, etiam in secunda Periodo Concilii ad Schema Constitutionis « De Ecclesia », prolata — locus datus est in novo textu. Praecavendum erat ne apostolatus laicorum nimis restringeretur ad ordinem temporalem christiane instaurandum. Ut in tota doctrina Concilii, etiam in hoc Schemate, insistitur in omni humano dominatu vitando.

e) IV: *De formis associativis.*

1. Caput IV continet 5 numeros, quorum primus est de momento formae consociativae (n. 13), secundus de earum multiplicitate (n. 14) tertius de associationibus fidelium in iure conditis et condendis (n. 15)



quartus de Actione Catholica (n. 16), et quintus de harum formarum aestimatione (n. 17).

2.<sup>5</sup> Quae in priore Schematis textu de momento formae associativae et de multiplicitate necnon de reformatione spiritus et legislationis in associationibus fidelium dicta sunt, integre retinenda esse visa sunt.

3. Materia n. 16, de Actione Catholica quae, ut permulti Patres desideraverunt, distincte tractanda erat, maximas praebuit difficultates. Ratio in eo erat, quod maxima datur regionum diversitas, rationibus historicis, geographicis, culturalibus, socialibus; diversitas etiam in vocabulorum significatione; sunt opportunitates variae, interdum in variis regionibus contrariae, ad res et appellationes ulterius evolvendas. Unitas optabatur in necessariis, servata tamen libertate in non necessariis. Vitanda erat uniformitas per speciem unitatis.

Multi Patres normas particulares desideraverunt; nonnullis tamen iam ea quae dicuntur, claudere videbantur aditus in futuro, vel stabilire ea quae adhuc in motu sunt. Varietas opinionum apparet in Tertia Parte Relationis typis impressae et Schemati adnexae: cf. ibi n. 16 de Actione Catholica, nn. 47-49. Omnes hae sententiae et observationes ostendunt variam mentalitatem Patrum, necnon varia adiuncta nationum e quibus proveniunt. Commissio omnes difficultates has iam antea consideravit (iam Commissio Praeparatoria) et ideo textus est aliqua via vere media. Omnibus perpensis ergo substantialiter relictus est textus uti iacebat iam in schemate praeparatorio et in redactione anni 1963, solummodo leviter corriguntur textus hic et illic; et post multas discussiones hic numerus peculiaris de Actione Catholica, sive ita nominetur sive non, maiori parti Commissionis bono communi Ecclesiae magis convenire visus est.

f) V: *De ordine servando.*

1. Hoc ultimum caput primo de relatione apostolatus laicorum ad Hierarchiam agit, quae varios modos admittit qui distincte enumerantur: incepta a laicis libera electione constituta et solum communi Hierarchiae vigilantiae subiecta; formae a iure Ecclesiastico qua tales recognitae; formae in quibus habetur mandatum Hierarchiae; formae quarum exercitium praerequirit missionem canonicam (n. 18); additur aliquis numerus de pastorum et laicorum in apostolatu laicorum cooperatione et de laicis qui perpetuo vel ad tempus in servitium institutionum et operum Ecclesiae seipsos exhibent (n. 19); de mutua cooperatione inter varias organizationes, institutis ad hoc etiam consiliis in variis ambitibus et etiam particulari apud Sanctam Sedem secretariatu (n. 20);



concluditur caput cum commendatione cooperationis cum aliis christianis et non-christianis (n. 21).

2.<sup>6</sup> Quod varios modos relationum ad Hierarchiam attinet in variis inceptis apostolicis laicorum, non eadem observatur ubique terminologia; ut ea quae hic proponuntur recte intelligantur, attendatur praesertim nota 15, Schemati adiecta.

3. Aliquis textus prioris redactionis qui respicit relationem inter pastores et laicos in apostolatu, assumptus est in Schema Constitutionis dogmaticae « De Ecclesia », cap. IV: De laicis.

4. Finis secretariatus constituendi apud Sanctam Sedem est informativus, investigativus et consultativus, non vero directivus relate ad illas activitates, sive nationales sive internationales, quibus assistit. Quidam Patres putaverunt hoc explicite dicendum esse; Commissio explicite declarat hunc esse sensum nostri numeri; iudicat tamen nec necessarium esse nec opportunum in textu dicere plus.

5. In textu de cooperatione cum aliis, christianis et non-christianis, exclusa sunt quae, quoad modum dicendi, spiritui positivo et oecumenico Concilii minus respondere videbantur. Ea quae dicuntur, ita exhibentur ut etiam modus dicendi ipsam hanc cooperationem promoveat.

#### *Exhortatio finalis:*

Exhortatio haec continet novam laicorum per ipsam Hierarchiam sollemnem invitationem ad participandam unam missionem Christi suaeque Ecclesiae, et ad eam semper etiam in futuro necessitatibus temporum adaptandam.

#### Pars tertia

#### DE ULTERIORE EMENDATIONE TEXTUS

1. Instituta est parva subcommissio exegetarum ad examinandas omnes allusiones ad Sacram Scripturam et quaestiones, an *doctrina biblica* de nostra materia sufficienter prae oculis habita fuerit. In aliquibus textum iam emendavit; inspectum correctionum et additionum exhibet Appendix Relationi adiectus.

2. In Schemate conficiendo nondum cognovimus textum conciliarum De Ecclesia in mundo huius temporis, ad quem ea remittenda putaveramus, quae praeparaveramus distinctius de actione sociali laicorum et de ordine apostolatus ad ordinem temporalem. Examinandum erit an de his quaedam tamen in nostro Schemate iterum fusius dicenda sint, ut aliqui Patres desiderant.

3. Distinctior desideratur etiam *explicatio elementorum spiritualita-*



*tis laicorum*. In hoc tamen ratio habenda erit Schematis De Ecclesia, capituli V.

4. Desideratur dein, ut *organica connexio inter communitates Ecclesiae, familias, ambitus vitae et associationes catholicas* quoad apostolatam laicorum distinctius attendatur et efferatur.

5. Perficienda etiam adhuc videntur quae de apostolatu dicuntur *in ordine internationali*, sive quoad obiecta sive quoad formas sive quoad ordinem huius apostolatus.

Gratias agimus iis Patribus, qui iam ad textum emendandum suis animadversionibus contulerunt. Gratias insuper Auditoribus et Auditricibus nostris laicis, qui non raro, proprias suas rationes afferentes, in his emendationibus vere partem habuerunt: vivum ita exemplum et testimonium praestantes earum veritatum, de quibus argumentum nostrum agit. Gratias denique etiam illis laicis, Sacerdotibus et Religiosis, quos, quamvis ad officiales peritos Concilii non pertinebant, sive Romae sive in nostris regionibus, consulere potuimus.

Scimus ex experientia multas et optimas adhuc emendationes primo proponi in ipsa discussione conciliari Schematis. Libenter eas exspectamus, sperantes, nobis ad eas textui nostro apte inserendas, in Concilio opportunum tempus adhuc concessum iri.

Cum ea, quae in hoc Concilio de episcopatu in Ecclesia enuntiantur, complent Concilium Vaticanum Primum praeteritum, quod de hac re agere iam voluit, ea, quae de laicis agunt, doctrinam et rem praebent, quae in conscientia et actione Ecclesiae praesentis validiores sunt et quos magis in futuro adhuc evolutum iri speramus. Favete ergo, Patres Conciliares, etiam Vestro voto, hanc viam, quam Ecclesia, in mundo huius temporis constituta prosequitur, ut magis in dies fiat Lumen Gentium.

---

*In oratione:* <sup>1</sup> Totum a) omissum est. <sup>2</sup> nn. 4 et 5 omissi sunt.  
<sup>3</sup> nn. 2, 3 et 4 omissi sunt. <sup>4</sup> n. 2 omissus est. <sup>5</sup> n. 2 omissus est.  
<sup>6</sup> nn. 2 et 3 omissi sunt.

## APPENDIX

### EMENDATIONES APPROBATAE A COMMISSIONE

p. 5, lin. 9: post « laicorum » addatur: « (cf. *quoad tempus apostolicum Mt. 9, 39; Pblm. 5; 1 Cor. 7, 12; 1 Cor. 3, 1-2*) ».

p. 5, lin. 18: loco « ob alienationem... » dicatur « ob *autonomiam vel etiam alien...* ».

p. 5, lin. 25: loco « animas salvando » dicatur « *homines salvando* ».



- p. 5, lin. 27: post « membra » addatur: « *Omnia vocata sunt ut sint " sal terrae " et " lumen mundi " (cf. Mt. 5, 14-16) ».*
- p. 6, lin. 1: post « passivum » addatur: « (cf. 1 Cor. 12, 14 ss.) ».
- p. 6, lin. 12: post « Regale Sacerdotium » addatur: « (cf. 1 Ptr. 2, 9) ».
- p. 6, lin. 13: post « divinam missionem » addatur « *Donis Spiritus Sancti ad eam exercendam ditantur (cf. 1 Cor. 12, 4-11; 28, 30; Rom. 12, 14 ss.) ».*
- p. 6, lin. 30: post « in fide, spe » addatur: « (cf. 1 Ptr. 3, 15) ».
- p. 6, lin. 35: loco « possibilem » dicatur: « *magis possibilem ».*
- p. 7, lin. 11: deleatur citatio ex S. Scriptura.
- p. 7, lin. 18: loco « ut idonei fiant » dicatur « *ut christifideles idonei fiant... ».*
- p. 7, lin. 20: loco « utque suam actionem » dicatur « *suamque actionem ».*
- p. 8, lin. 10: loco « Novae Legis excellentiam » dicatur « *Novae Legis sacramenti excellentiam... ».*
- p. 8, lin. 18: loco « caritatis Christi et Ecclesiae testis; » dicatur: « *caritatis Christi et Ecclesiae ambo simul sint testes; ».*
- p. 8, linn. 31-32: loco « Laici se alant vita liturgica in paroecia eamque actuose participant; sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis. » dicatur: « *Laici, nutriti actuosa participatione vitae liturgicae in paroecia, sollicite partes agant etiam in operibus apostolicis. ».*
- p. 9, lin. 30: loco « curae habeant » dicatur « *diligenter studeant ».*
- p. 9, lin. 31: loco « sunt... » dicatur: « *sint ».*
- p. 9, lin. 33: loco « exercent » dicatur: « *exerceant ».*
- p. 9, lin. 34: loco « studeant » dicatur: « *curam habeant ».*
- p. 10, linn. 3-6: loco « sese strenuos sollicitosque inter socios ostendentes, laici studeant vita sua et operositate commendare fidem quam... » dicatur: « *laici sese strenuos sollicitosque inter socios ostendant, ut nempe vita et operositate sua commendetur fides quam... ».*
- p. 10, lin. 7: loco « Unde » dicatur: « *Valde optandum... ».*
- p. 10, lin. 21: post « provideatur », deleantur verba « iuxta illud Christi: Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius » « (Mt. 6, 33) ».
- p. 10, lin. 25: loco « collaboratio » dicatur: « *actio ».*
- p. 10, lin. 27: deleatur citatio ex S. Scriptura.
- p. 10, lin. 29: loco « laici Ecclesiam multimode adiuvant », dicatur: « *laici in Ecclesia multimode concurrunt ».*
- p. 11, lin. 1: loco « pro animarum salute... » dicatur: « *pro hominum salute eorumque spirituali profectu... ».*
- p. 11, lin. 10: post « Omnia » addatur « *enim ».*  
lin. 11: corrigatur (1 Cor. 3, 22-23).
- p. 11, lin. 18: loco « restaurent... » dicatur « *construant, restaurent ac perficiant ».*
- p. 11, lin. 28: loco « christianam ordinis temporalis instaurationem... » dicatur « *instaurandum ordinem temporalem vere humanum et spiritu christiano informatum exiguntur... ».*



- p. 12, linn. 10-14: loco « colantur... sine quibus » dicatur: « colantur etiam qualitates humanae quae a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas... sensus civicus; a natura enim requiruntur et ideo sine his... ».
- p. 12, lin. 29: loco « auxilium hominibus in necessitate constitutis praestetur... » dicatur: « auxilium hominibus, immo et populis in necessitatibus... ».
- p. 13, lin. 24: loco « et praesertim » dicatur: « itemque in adhaesione... ».
- p. 15, lin. 3: loco « vocati » dicatur: « invitati ».
- p. 18, lin. 3: loco « eodem modo », dicatur: « simili modo ».

*Moderator:* Gratias agimus relatori et omnibus membris huius commissionis, tam ecclesiasticis quam laicis.

*Secretarius generalis:* Lego textum XII suffragationis, pag. 19, nn. 14-18 [cf. vol. III, pars II, pag. 310-313].

Venerabiles Patres, placetne an non placet hic textus? Alia suffragatio fiet post 30 momenta, quapropter velitis hoc momento vestris sedibus esse. Gratias.

*Moderator:* Nunc incipit disceptatio de apostolatu laicorum.

#### 4 – PATRUM ORATIONES

(De apostolatu laicorum)

##### 1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER

*Archiepiscopus S. Ludovici*

*Venerabiles Patres,*

Schema decreti de apostolatu laicorum, ut mihi videtur, fere omnia continet quae requirit decretum conciliare aptum et effectivum. Attamen, in sua integritate, suum finem pastoralemente minime attingit. Vicia eius praecipua inveniendae sunt in materiae dissipatione et ordinis defectu: illa enim quae continet veri valoris hic et illic dispersa sunt et cum alienis et inanibus mixta. Certissime, in forma actuali, schema accipi non potest ut decretum definitivum. Attamen, aliena et inania eliminando, quidquid sit valoris roborando, novumque ordinem inducendo, poterimus ex elementis hic praebitis decretum componere quod necessitatibus nostri temporis eminenter respondeat. Ad minus facilius et ex-



peditius erit hoc schema etiam funditus recognoscere quam aliud novum conficere. Proinde, meo humili iudicio, schema propositum accipi debet ut basis disceptationis.

Mihi liceat breviter indicare nonnulla vitia eliminanda, valores roborandos, et novum ordinem inducendum.

1. *Quoad vitia eliminanda.* Tria sunt vitia praecipua: spiritus clericalis, iuridicismus, et, ut ita dicam, « favoritismus » — « *favoritism* ». <sup>1</sup> Nimis *clericale* est schema, quia modo patroni loquitur ad laicos de laicis; quia altissimum laicorum apostolatum ponit in adiutorio clericis praebendo; et quia indolem et capacitates laicorum modo practico vix agnoscit. *Iuridicismus* schematis evidens est in illis paragraphis quae tractant de Codicis Iuris Canonici revisione et de relationibus laicorum ad hierarchiam: omnia quae aliena sunt in decreto pastoralis. Deinde, « favoritismi » reum est schema in Actione Catholica singulari modo laudanda: hoc faciendo, schema alias apostolatus formas valde et indebite obtrectat.

2. *Quoad valores roborandos.* Tria sunt clare distincteque exponenda et suaviter fortiterque inculcanda: ipsa apostolatus natura, eius diversae formae, et spiritualitas specificae laicalis. Expositio *essentialis* apostolatus requirit ut in unum logicum congregentur omnia elementa hic et illic in schemate dispersa; ut iura et officia laicorum, in exercitio apostolatus sive individuali sive associativo, quam clare et distincte *enucleantur* <sup>2</sup>; et ut apostolatus laicorum manifestetur in sua relatione essentiali ad Ecclesiae vitam. *Formae* apostolatus diversae explicandae sunt singillatim et in suis relationibus mutuis; distinguantur ab invicem, non secundum relationes ad hierarchiam, sed generice secundum diversos fines et specificae secundum mediorum diversitatem ad eundem finem attingendum. Deinde, *sanctitas*, seu spiritualitas, laicalis explicetur secundum principia capituli « de laicis » in constitutione *de Ecclesia*.

3. *Quoad novum ordinem inducendum.* Desumatur prooemium ex capite « de laicis » constitutionis ecclesialis. Corpus decreti, quod debet esse multo brevius, consistat ex tribus partibus: 1. de essentia apostolatus; 2. de formis apostolatus diversis; et 3. de sanctitate laicali ut elemento apostolatus essentiali. Fiat conclusio per modum exhortationis pastoralis quae omnes christifideles ad apostolatum enixe vocet.

Venerabiles Patres! Hoc tempore nobis decernendum est, non solum utrum hoc schema accipi debeat, sed praesertim utrum velimus his diebus disceptare de laicorum apostolatu necne. Nunc, ut mihi videtur, est tempus acceptabile: nescimus enim utrum alia occasio unquam se praebeat. Proinde, nonobstantibus eius vitiis et inaptitudine, suadeo et



urgeo ut schema propositum acceptetur ut basis disceptationis de re tam magni momenti. Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> enucleentur.

*Animadversiones additae:*

Ut decretum nostrum suum finem pastorem attingat, debet vehementius urgere illa quae necessitatibus nostri temporis magis respondeant. Inter quae tria mihi videntur magni momenti.

1. Nostra tempora, dum expositionem vindicationemque apostolatus proprie laicalis requirunt, postulant etiam exhortationem quae non solum vocet sed etiam moveat laicos ad apostolatus exercitium. Per multos annos, apostolatus laicorum intelligebatur in Ecclesia participatio in apostolatu hierarchico. Munus laicorum proprium, si non ignorabatur, saltem in praxi reprimebatur. Inclinationes cursusque annorum praeteritorum his diebus inhibendi sunt, immo invertendi sunt. Decretum nostrum debet clare, distincte, aperte declarare laicos habere suam propriam participationem in missione Ecclesiae et eos posse, etiam debere, exercere apostolatum sine missione canonica, sine mandato, et sine approbatione hierarchiae. Eis pertinet ius nativum, quia etiam officium, opera apostolica initiandi, exsequendi, et perficiendi; ius etiam, si eis videtur necessarium vel utile, associandi ut labores evadant efficaciores.

2. Nostra tempora postulant expositionem naturae apostolatus quam clara et quam accurata. Talis expositio requirit considerationem de ambitu apostolatus: e. g., sive in Ecclesia sive extra Ecclesiam; considerationem finium qui formas apostolatus specificant; et ita porro. Sed expositio accurata, in circumstantiis actualibus, postulat praesertim agnitionem indolis individualis et personalis ipsius apostolatus. Vocatio ad apostolatum, sicuti etiam dedicatio sui (engagement, commitment) pertinet ad personam. Utique, talis vocatio et dedicatio est etiam ecclesialis. Attamen organizatio, seu associatio, non pertinet ad essentiam apostolatus, sed solum ad efficacius exercitium eius in quibusdam casibus. Pondus et spatium a schemate concessa considerationi associationum procedunt ex conceptu nimis iuridico apostolatus. Insuper, quod multo peius est, obscurat veram naturam apostolatus laicalis.

3. Nostra tempora postulant ut schema nostrum quaedam doceat de cooperatione laicorum in administratione Ecclesiae. Sane, haec cooperatio non pertinet ad apostolatum proprie laicalem. Sed natura et bonum Ecclesiae minime servant omnes administrationis aspectus hierarchiae et clericis. Decisiones, ut actus iurisdictionis, sunt exclusive hierarchiae. Sed aptitudo et capacitates ad consilium praebendum, sicuti et intelligentia et peritia, nullatenus restringuntur ad illos qui potestatem ordinis vel iurisdictionis possident. Bonum Ecclesiae requirit ut episcopi et pastores in sua administratione consilium quaerant ab illis qui magis periti et capaces sunt. Nonnulli sunt aspectus vitae Ecclesiae in quibus soli laici peritiam habent; alii sunt aspectus in quibus laici, non qua laici sed qua periti, consulendi sunt. Experientia, prudentia, bonum Ecclesiae commune, et ipsi christifideles hodierni postulant ut laici munere consultativo fungantur in Ecclesiae administratione et vita.

Venerabiles Patres! Saltem nonnulla ex his quae dixi iam continentur in schemate. Sensus meorum verborum est necessitates speciales postulare ut omnia



accipiant maius pondus et spatium in decreto pastoralis de apostolatu laicorum.

Page 10, lines 29ff: In these lines, the laity is made distinct from the Church. The "Church" would seem to refer to the hierarchy. This "slip" can be repaired by using the terminology of lines 9 and 10 on page 5: "quam missionem Ecclesia adimplet per omnia sua membra". So here: "Nostris quidem temporibus Ecclesia per vitam actionemque laicorum supernaturalem quamplures etiam qui longe sunt attingere potest"...

Page 11, lines 1ff: "sensu Ecclesiae" labors under the same difficulty. The layman is not a passive recipient, but an active "formator", *sensus Ecclesiae*. It would be better to speak of *sensus Christi*.

Page 13, lines 24ff: "libertas laicorum in associationibus organizandis et praesertim in adhaesione eis danda agnoscatur". Something better than this is required. See attached speech.

Page 14, lines 3ff: Paragraph 15 should not be in a conciliar document. It is a simple *ad hoc* directive. Let it be given to proper parties.

Page 13, lines 8ff: "Catholic Action" is sufficiently treated—in re, if not nominatim—in lines 17-22 on page 16.

Page 6, lines 11-13: It would be a vast improvement to follow the lead of the Constitution on the Church and speak of the Christian's participation in the priesthood, the prophetic ministry, and the kingship of Christ.

Page 6, lines 14-16: skip "etiam ad res temporales". It adds nothing to the statement and actually renders its reading and understanding more difficult.

Paragraphs 5, 6, and 7. Certainly, the layman is called to exercise the apostolate within and toward the family, the parish, the diocese. In this sense, these units are the objects of the apostolate. One important social unit is ignored: the liturgical assembly. The Witness and service which one gives in the assembly through his external participation are the source of inspiration and devotion to others. This, I think, should be developed.

Moreover, the family, the parish, the diocese, and the liturgical assembly are subjects of the apostolate. They are units which are called upon to further the mission of the Church through witness and service. While we may argue that this apostolate is not "lay" in the strict sense, we cannot doubt that the layman is called to play a role in the parish, liturgical assembly, diocese, and family apostolate.

## 2

EM.MUS P. D. MICHAEL CARD. BROWNE

*Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,*

Schema mihi videtur bonum, et etiam magni momenti — etiam inter schemata maioris momenti quae sunt oblata nostro concilio, ut notavit em.mus card. Cento. Tamen, ut existimo, moderamen quoddam adhuc esset in ipsum introducendum.

1. Primum punctum forsitan mihi occurrit ex terminologia, forsitan est mere terminologicum. Sed secundum meam terminologiam, puto



schema nimis universalizare obligationem exercendi apostolatam, nisi forte exercitium quorumcumque operum caritatis directum ad bonum spirituale proximi seu opera spiritualia misericordiae apostolatam vocare velimus. Ut puto, est quaestio de apostolatu et de spiritu apostolatus.

Ita dicitur, v. g. in pag. 7, linn. 7-8, vocationem ad apostolatam ad essentiam ipsam vocationis christianae pertinere. Item, ibidem, lin. 22, dicitur: « formatio apostolica igitur omnibus omnino imperianda est ». Item, pag. 16, linn. 24-25: « officium exercendi apostolatam esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis ».

Sed in mentem veniunt textus apostoli: « Numquid omnes apostoli? », ut quaerit ipse in *1 Cor.* 12, 29. Item, ad *Eph.* 4, 11: « Ipse dedit quosdam quidem apostolos ».

2. In par. 6, pag. 9, linn. 3-6 habetur: « Adlaborent (laici scil.) viribus unitis ut paroecia spiritu missionali informetur, et, obsequentes episcopo cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis apostolatam moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni: “ nihil sine episcopo ” agant ».

Noto hic nihil dici de quodam obsequio erga parochum quod tamen, saltem subordinata ratione, etiam necessarium est.

Paroecia... Dicitur hic dioecesis esse ecclesia localis. Potest defendi ista enuntiatio? Sed paroecia est communitas christiana quae magis assimilatur ecclesiae locali, communitati locali, de qua in Actibus Apostolorum, in epistulis S. Pauli, in epistulis S. Ignatii et aliorum scriptorum antiquorum.

Utique episcopus est pastor singularum paroeciarum suae dioeceseos, sed habet etiam suum repraesentantem qui est parochus in singulis ecclesiis localibus. Unde hic aliqua mentio, saltem subordinata ratione, uti dixi, deberet fieri de parochis.

In par. 19, pag. 17, linn. 6-8, habetur: « Religiosi demum, sive fratres sive sorores, operibus apostolatus laicorum libenter se devoteant ». Utique, sed salva religiosa disciplina. Quid enim de muneribus propriae religionis quorum adimpletio limites quandoque ponit observationi huius praescripti?

Et quid de statu subiectionis erga proprios Superiores ex voto oboedientiae etiam respectu operum apostolatus? Dixi. Gratias.

---

*Textus scripto traditus:*

Schema substantialiter bonum est, tamen, ut existimo, moderamen quoddam adhuc esset in ipsum introducendum.

1. Puto ipsum nimis universalizare obligationem exercendi apostolatam nisi



forte exercitium quorumcumque operum caritatis directum ad bonum spirituale proximi, seu opera spiritualia misericordiae, apostolatam vocare velimus. Ita dicitur (pag. 7, linn. 7-8) vocationem ad apostolatam ad essentiam ipsam vocationis christianae pertinere.

Item *ibid.* linn. 22 dicitur « formatio apostolica igitur omnibus omnino imperitienda est ». Item, pag. 16, linn. 24-25 « officium exercendi apostolatam esse proprium omnibus fidelibus sive clericis sive laicis ».

Sed « numquid omnes apostoli? », quaerit S. Paulus *1 Cor.* 12, 29. Item « Ipse dedit quosdam quidem apostolos » *Eph.* 4, 11.

2. In par. 19, pag. 17, linn. 6-8 habetur: « Religiosi demum, sive fratres sive sorores, operibus apostolatus laicorum libenter se devoveant ». Sed quid de muneribus propriae religionis quorum adimpletio limites quandoque ponit observationi huius praescripti?

Quid de statu subiectionis erga proprios superiores ex voto oboedientiae etiam respectu operum apostolatus?

3. In par. 6, pag. 9, linn. 3-6, habetur: « Adlaborent (laici) viribus unitis ut parocia spiritu missionali informetur, et, obsequentes episcopo cuius est totius dioeceseos, quae est Ecclesia localis apostolatam moderari, iuxta illud S. Ignatii Antiocheni “ nihil sine episcopo ” agant ».

Noto hic nihil dici de quodam obsequio erga parochum quod tamen, saltem subordinata ratione, etiam necessarium est.

### 3

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

*Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver*

*Venerabiles Patres,*

Loquor nomine quindecim episcoporum e Canada. Schema principia essentialia et quaedam explicationes laicorum apostolatus exponere intendit, ut laici authenticam indolem vel spiritum vocationis suae melius percipere possint.

Tempus advenit de facto ut Ecclesia in Concilio congregata dicat quid putat de membris istis qui de facto constituunt partem maximam substantiae eius, et a quibus pendet hodie tota evolutio mundi, i. e., de laicis.

Et ideo textui schematis addere velim duo quae nobis videntur essentialia ut apostolatus laicorum perfectius et modo magis dinamico in luce ponatur.

1. *Vocatio Ecclesiae et christianorum.* Apostolus Paulus ad Colossenses declarat: « In ipso (scil. in Christo) condita sunt universa in caelis et in terra... omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, ...<sup>1</sup> et omnia in ipso constant » ...<sup>2</sup>.



Unde apparet quod propositum Dei in ipsa creatione nullo modo in umbra relegatur per propositum suum salvificum; affirmandum est potius quod decretum creationis et decretum redemptionis in ipso Christo concrete uniuntur; ipse enim est simul fons et auctor salutis atque totius creationis culmen.

Quia Ecclesia est corpus Christi et ab eo recipit missionem propriam in eius opere pergendi, illi duo aspectus propositi divini in ipsa quoque Ecclesia necessarie inveniri debent, et quidem in unum coalescentes.

Ex quo eruitur omnes christianos duplicem vocationem habere:

a) Fundamentalis ac primordialis singulorum hominum vocatio in quantum homines intellectu praediti sunt, in operositate tendit ad creationis completum et ad universi perfectionem ...<sup>3</sup>. A Deo accipiunt munus universum mundum dominandi, intelligentia hoc permittente, et proinde in ambitu laboris opificae, oeconomiae, educationis, scientiae, technicae, etc. ... maxima dignitas et verae responsabilitates oriuntur.

b) Per hominum aggregationem ad populum Dei, mediante fide, et per missionem quam in baptismo et *chrismate*<sup>4</sup> Christus illis confert cooperandi cum ipso ad omnium restaurationem secundum propositum Patris, vocatio illa humana elevatur ...<sup>5</sup> ad dignitatem apostolatus.

Hi duo aspectus, scil. naturale et supernaturale, inseparabiles sunt in ipsa concreta et existentiali omnium christianorum vocatione ad suum tamquam laicorum apostolatum, nam hoc modo tantum fit omnium rerum assumptio a Christo ...<sup>6</sup>.

2. *Finis et natura apostolatus laicorum.* Sicut vocatio laicorum duplex est, etiam finis apostolatus duplici modo consideratur, nempe: Regnum Dei annuntiare, et universum mundum ad finem et perfectionem suam conducere.

Populus Dei in totalitate sua responsabilitatem tenet quoad expansionem verbi et quoad adventum regni Dei.

Ad laicos autem quod attinet, ut mirabilis haec responsabilitas in actum deducatur, variae formae collaborationis cum hierarchia requiruntur, laicorum est ministerium hierarchicum praeparare, adistere, extendere.

Quoad instaurationem universi etiam, munus laicorum maximi momenti est. Etenim quilibet apostolatus qui ad spiritualem seu « pneumaticam » transformationem universi non ducit, in vacuum quoddam et frustra adlaborat.

In hac restauratione iacet fundamentalis et singularis aspectus laicorum apostolatus, quia



a) in ea restauratione sistit authenticus et specificus laicorum apostolatus, qui ...<sup>7</sup> a solis laicis perfungi potest;

b) hierarchicus apostolatus, si *per impossibile*<sup>8</sup> ab apostolatu laicorum esset seiunctus, non posset naturalem neque supernaturalem universi instaurationem efficaciter perficere ...<sup>9</sup>.

Ideo, laicorum dedicatio, « apostolic commitment », « engagements », « compromiso » — ut aiunt, in ordine temporali, ad promotionem fratrum suorum qui ibi adlaborant, non unice sistit in aliqua sphaera superficiali sic dicta « humanitaria », sed reapse ad radices divini propositi pertingit.

Exinde sequitur quod in Ecclesia existere debet et de facto existit apostolatus specificus laicorum, qua laicorum, quod toto caelo differt ab apostolatu hierarchico stricte dicto.

Unica datur vocatio christifidelium ad apostolatum. Sed affirmare oportet quod singuli christiani apostoli esse debent secundum duos aspectus vocationis suae, naturalem scil. et supernaturalem, et responsabilitatem sumunt oportet erga bonum ordinis et temporalis et spiritualis. Quae ambae reapse inseparabiliter coniunctae sunt in una et universali vocatione christianorum ad apostolatum.

*Concludo.* Schema insufficientia doctrinali adhuc laborat.

Considerationes morales et nimis paternales hic non requiruntur. Quod laici ab isto Concilio petunt, est impulsus ad obsequendum vocationi quae in theologia authentice biblica populi Dei radicata appareat.

Placet schema iuxta modum.

Propono ut schema recognoscatur, eius fundamentum melius stabiliendo in perpulchro schemate *de Ecclesia*, speciatim in capitibus de populo Dei et de laicis.

Lineamenta novae redactionis in scriptis tradam. Dixi. Gratias.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> et ipse est ante omnes. <sup>2</sup> (1, 16-17). <sup>3</sup> Ad imaginem autem Dei creati sunt. <sup>4</sup> confirmatione. <sup>5</sup> usque. <sup>6</sup> et in Christo ad gloriam Patris. <sup>7</sup> ab hierarchico vere distinguitur et qui. <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> immo infructuosus evadere videtur.

*Textus additus:*

*Lineamina novae redactionis.*

I - Prooemium: Ecclesia tota in mundum missa est ut Evangelium annuntiaret et vitam propagaret usque ad adventum Domini Nostri Iesu Christi (cf. *de Ecclesia*, pag. 38, n. 17).

Illam missionem populus Dei totus adimplet sub ductu Spiritus Sancti in se operantis. Sicut enim dixit S. Petrus « vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius qui de tene-



bris vos vocavit in admirabile lumen suum » (1 Pt. 2, 9-10; cf. Apoc. 5, 9-10). Omnium igitur et singulorum membrorum Ecclesiae est tota illius vocatio et missio, Spiritu tamen Sancto diversas functiones suscitante (cf. 1 Pt. 4, 10). Corpus Christi absque communione et dependentia mutua omnium membrorum non vivit (cf. 1 Cor. 11-14).

Duae sunt functiones structurales essentielles et ad invicem ordinatae quas Spiritus in Ecclesia suscitatur: functio hierarchiae et functio laicatus (cf. *de Ecclesia* n. 10). Per Baptismum et Confirmationem et etiam in charismatibus peculiaribus accipit laicus christianus munus integram vocationem Ecclesiae adimplendi secundum quod Deus eum in Corpore Christi posuit (cf. 1 Cor. 12, 18).

Exercitium sacerdotii regalis christifidelis nihil aliud est quam actualizatio in eo sacerdotii populi Dei, quod ipsum est participatio sacerdotii Christi Capitis.

Ipsa actio sacerdotalis est hoc quod vocatur apostolatus: vocatio christiana natura sua vocatio est ad apostolatum (cf. *de apostolatu laicorum*, n. 1, pag. 6).

Sicut Christus missionem suam salvificam adimplevit tribus muneribus, ita christifidelis vocationem suam ad apostolatum adimplet triplici operatione sacerdotali, nempe: a) prophetico, b) culturali, c) regali.

Triplici hac operatione baptizatus prosequitur fines sacerdotii Christi et sui. Secundum unicum Dei in creatione et redemptione propositum hi fines sunt: 1. creationem perficere, 2. fructus Redemptionis Christi inseminare (cf. *Rom.* 8, 19-24) ad hoc quod omnia instaurentur in Christo (cf. *de apostolatu laicorum*, pag. 11, n. 11).

Ad lineamina reduci possunt elementa sequentia textus *de apostolatu laicorum*:

I. Prooemium. De unica vocatione populi Dei ad apostolatum. Novus textus propositus resumit ideas quae passim inveniuntur in n. 9, 12 (pag. 12, lin. 32), n. 14 (pag. 13, lin. 28).

II. De exercitio triplicis muneris: a) prophetici, n. 2, pag. 6, lin. 28 ad pag. 7, lin. 6; b) culturali, n. 2, pag. 6, linn. 23-27; c) regalis, elementa ex nn. 5 et 7; n. 8, n. 11.

III. De habitudine inter hierarchiam et laicos: n. 10, n. 14, pag. 13, lin. 23; elementa ex n. 16; nn. 18-20; hic videtur loquendum *de formis* apostolatus.

IV. De indole missionaria: n. 6 in genere et praesertim pag. 9, linn. 8 ss.; et n. 21.

V. De formatione: n. 3, pag. 7; n. 11, pag. 12; linn. 10-14; ex n. 13, ea quae respiciunt formationem in consociatione.

[*Adhaeserunt etiam*] Roy Maurice (Quebec), Cabana Louis Joseph (tit. Carallia), Baudoux Maurice (Saint Boniface), Douville Arthur (Sainte Hyacinthe), Leblanc Camille-André (Bathurst), Caza Percival (coad. Valleyfield), Coderre Gérard-Marie (St. Jean-de-Québec), Frenette Emilien (Saint Jérôme), Couturier Gérard (Hauterive), Power William E. (Antigonish), Charbonneau Paul-Emile (Hull), Leménager Albert, Hacault Antoine, Blais Léo, Doyle W. Emmett.



## 4

EXC.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CHARBONNEAU  
*Episcopus Hullensis*

*Venerabiles Patres,*

Certe in illo schemate adsunt elementa positiva, de quibus valde gaudeo. Attamen, mihi videtur necessarium melius explicare: 1. elementa specifica vocationis laicorum; 2. in quo concrete et practice consistit haec vocatio; 3. quomodo formari possint laici ad hanc vocationem adimplendam; tandem oportet etiam definire clare et distincte quae sit actio catholica et enumerare elementa constitutiva collaborationis clericorum et laicorum.

1. Saepe in schemate, v. g. pag. 5, lin. 16; pag. 10, lin. 23; pag. 11, lin. 33, apostolatus laicorum praesentatur tantum quasi aliquod remedium ad paucitatem sacerdotum, vel quasi adiumentum ad religiosam situationem Ecclesiae in mundo hodierno. Sed hoc non sufficit, et immo contradicit hoc quod pulcherrime in schemate *de Ecclesia* expositum fuit. Nam laici non tantum hoc faciunt quod clerici hic et nunc facere non possunt sed si possibilitas fuisset facerent. Munus valde specificum adimplent, quod radicaliter suum est et quod non potest ab aliis adimpleri, fundatum in ipsa realitate baptismi et in loco proprio quod in sinu Populi Dei ut membra qualificata laici tenent. In ipsis laicis tota et integra vocatio apostolica Populi Dei adest, quamvis modo proprio et specifico a modo hierarchico distincto. Directivae pastorales quod schema dat non sufficienter radicanter in ista visione biblica et traditionali de qualitate specifica membri laici Populi Dei. Directivae pastorales schematis unitate carent et videntur esse tantummodo aliqua praesentatio inordinata multorum aspectuum usque ad hanc diem in Ecclesia vigentium.

2. Laicis non hodie sufficit de novo loqui de necessitate unionis spiritualis cum Christo, de oratione, de participatione Eucharistiae, de necessitate vitae sanctae. Hoc iam bene sciunt. Insistentia poni oportet praesertim supra obligationem stricte baptismalem quam habent realisandi incarnationem concretam Ecclesiae in structuris et elementis et tendentiis visceralibus huius mundi hodierni. Nam in conditionibus hodiernis hoc habet maximum momentum. Sicut Christus ad salvandam humanitatem in illa incarnatus fuit (et illa incarnatio fuit realis et valde concreta), ita ad salvandum mundum Ecclesia debet in isto mundo vere et concrete et usque ad ultimam profunditatem incarnari. Sine ista in-



carnatione in mundo non fit redemptio eiusdem mundi. Ecclesia in mundo esse debet non tantum ut aliqua societas in medio aliarum societatum, sed sicut illa societas quae active et ab intus omnes agonias, omnes spes, omnes pugnas humanitatis in motu suo versus ad iustitiam, pacem, fraternitatem, felicitatem, assumit, sicut sunt hodie aspirationes omnium pauperum ad iustitiam, pugna contra racismum, nisus ad famem tollendam, actio contra bellum, etc. Uno verbo: Ecclesia debet suum facere omnia de mundo, excepto peccato. Atqui, hoc praesertim a laicis suis adimplere potest. Sine suis laicis et concreta illorum incarnatione in mundo hodierno Ecclesia Christi non potest esse vera Ecclesia hominum, et esset tantum aliqua Ecclesia abstracta, disincarnata, extra verum et authenticum et reale coetum hominum. Sine laicis Ecclesia non potest esse fermentum evangelicum mundi.

3. Formatio ad apostolatatum consistere non potest in una abstracta et theoretica formatione. Essentialiter a duobus principiis provenit:

a) a vita theologali authentica, in mysterio caritatis paschalis Christi vere et profunde radicata, cum realismo illius amoris. Nam ut aiunt Sanctus Paulus et Sanctus Ioannes, ille qui vere Christum possidet non potest illum pro seipso servare; aliter eum non vere possidet.

Secundum principium: a contactu reali cum vita hominum. Nam in participatione reali et concreta conditionum et aspirationum vitae ambientis sui et praesertim vitae illorum fratrum quos ad Christum ducere vult, apostolus christianus invenit, Spiritu Sancto inspirante et ducente, modum aptissimum praesentandi Evangelium. Sicut iam dixi, Evangelium annuntiari debet non ut aliqua pulchra doctrina extra vitam concretam hominum mundi hodierni, sed ut responsum ad quaesitum existientiale hominum pro aliquo universo ubi pax, iustitia, vera fraternitas, felicitas invenientur, quod universum de facto est unicum Regnum Dei.

4. Schema amplius nobis videtur valde deficiens in praesentatione sua Actionis Catholicae. Scimus quod nunc in Ecclesia sunt diversae positiones de natura Actionis Catholicae; attamen oporteret clare indicare munus specificum sic dictae Actionis coram aliis formis apostolatus laicorum. Totus apostolatus laicorum non continetur etenim inter limites Actionis Catholicae specializatae et mandatae. Attamen illa munus permagni momenti adimplet in ambitu totius apostolatus laicorum. Nam Actio Catholica dat Ecclesiae structuras principales circa quas elaboratur « *la prise en charge* » alicuius complexus humani. Actio Catholica, quia cum hierarchia connectionem strictam habet ratione mandati permittit apostolatu signum esse praesentiae Ecclesiae qua talis in comunione cum episcopo, qui est cor et fons dynamica ecclesiae localis.



Actio Catholica dat militantibus suis formam actionis concretam modo valde evangelico.

5. Tandem oporteret ut, cum agitur de relationibus apostolicis inter clericos et laicos, clare ostenderetur pro clero necessitas non tantum dialogandi cum apostolis laicis sed amplius laborandi in communione intima cum illis. Presbyteri et laici etenim sunt unica Ecclesia Dei, et munus unicum atque indivisibile adimplent. Magni momenti est hodie quod in sua formatione sacerdotali seminaristae ad respectum laicorum sint ducti et quod definitive fit destructio illius erroris vitae apostolicae, fontis sat maiorum malorum pro Ecclesia, quae est clericalismus. Dixi.

---

*Textus scripto traditus:*

Quamvis in illo schemate adsint elementa positiva, attamen in illo plures defectus continentur, ita ut laici ab ipso deciperentur et ut de facto ad vitam apostolicam Ecclesiae nihil afferetur.

1. Saepe in schemate (v. g. pag. 5, linn. 16-18; pag. 10, linn. 23-32; pag. 11, linn. 33-35) apostolatus laicorum praesentatur tantum ut aliquod remedium ad paucitatem sacerdotum, vel ut adiumentum ad religiosam situationem Ecclesiae in mundo hodierno. Sed hoc falsum est, et immo contradicit hoc quod pulcherrime in schemate *de Ecclesia* expositum fuit. Nam laici non tantum hoc faciunt quod clerici hic et nunc facere non possunt, sed si possibilitas fuisset facerent. Munus specificum adimplent, quod radicaliter suum est et non potest ab aliis adimpleri, fundatum in ipsa realitate baptismi et in loco proprio quod in sinu populi Dei ut membra qualificata laici tenent. In ipsis laicis tota et integra vocatio apostolica populi Dei adest, quamvis modo proprio et specifico a modo hierarchico distincto. Directivae pastorales quod schema intendit non radicanter in ista biblica visione de qualitate specifica membri populi Dei. Ideo unitate carent et videntur esse tantummodo aliqua praesentatio inordinata multorum aspectuum usque ad hanc diem in Ecclesia vigentium.

2. Laicis non sufficit de novo loqui de necessitate unionis spiritualis cum Christo, de oratione, de participatione Eucharistiae, de necessitate vitae sanctae. Insistentiam poni oportet praesertim supra obligationem stricte baptismalem quam habent realisandi incarnationem Ecclesiae in structuris huius mundi. Nam in conditionibus hodiernis hoc momentum maximum habet. Sicut Christus ad salvandam humanitatem in illa incarnatus est (et illa incarnatio fuit realis et valde concreta) ita ad salvandum mundum Ecclesia in isto mundo incarnari debet. Sine ista incarnatione in structuris huius mundi non fit redemptio eiusdem mundi. Ecclesia in mundo esse debet non tantum ut aliqua societas in medio aliarum societatum, sed sicut illa societas quae active et ab intus omnes agonias, omnem spem, omnia pugnae humanitatis in motu suo versus ad iustitiam, pacem, fraternitatem, felicitatem, assumit, verbi gratia aspirationes pauperum ad iustitiam, pugnam contra racismum, nisus ad famem tollendam, etc. Uno verbo Ecclesia Dei debet suum facere omnia de mundo, excepto peccato. Sicut Christus fuit ex hominibus, in hominibus et pro hominibus, ita etiam Ecclesia debet esse in communitate hominum, ex communitate hominum, pro communitate hominum. Atqui, hoc tantum a laicis



suis facere potest. Sine suis laicis Ecclesia Christi non potest esse Ecclesia hominum, et est tantum aliqua Ecclesia abstracta, desincarnata, extra verum et authenticum coetum hominum.

3. Ergo formatio ad apostolatatum consistere non potest in una formatione abstracta et pure theoretica. Essentialiter formatio laicorum a duobus principiis provenit:

*a)* a vita theologali authentica et intensiva, in mysterio caritatis paschalis Christi radicata, in toto suo realismo. Nam ut aiunt S. Paulus et S. Ioannes, ille qui vere Christum possidet non potest illum pro seipso servare; aliter eum non vere possidet;

*b)* e contactu reali cum vita hominum. In participatione reali et concreta conditionum vitae ambientis sui (« de son milieu ») et praesertim vitae illorum fratrum quos ad Christum ducere vult, apostolus christianus invenit modum aptissimum praesentandi Evangelium, Spiritu Sancto inspirante et ducente. Nam (sicut iam dixi) Evangelium annuntiari debet non ut aliqua doctrina extra vitam concretam, sed ut responsum ad quaesitum existientiale hominum pro universo ubi pax, iustitia, fraternitas, felicitas invenientur; quod universum de facto est unicum regnum Dei.

4. Schema amplius nobis videtur valde deficiens in praesentatione sua de Actione Catholica. Quod dicit nihil novi affert, nullum dynamismum infundit Ecclesiae. Oporteret clare indicare munus specificum sic dictae Actionis Catholicae (in sensu specifico) coram aliis formis apostolatus laicorum.

5. Oporteret tandem ut, cum agitur de relationibus apostolicis inter clericos et laicos ostenderetur necessitas pro clero non solum dialogandi cum apostolis laicis sed etiam laborandi in intima communionem cum illis. Magni momenti est quod seminaristae in sua formatione sacerdotali ad respectum laicorum sint ducti et quod definitive fit destructio illius erroris vitae apostolicae quod est clericalismum.

*Secretarius generalis:* Velitis, Patres venerabiles, ad vestras sedes redire, dum lego textum 13 suffragationis et etiam manere vestris sedibus usque ad finem lecturae quia alia suffragatio petenda est ab em.mo card. moderatore.

Videatis pag. 22, nn. 19-24 [*cf. vol. III, pars II, pag. 313-316*]. Placetne an non placet, Patres venerabiles?

*Moderator:* Venerabiles Patres, iuxta normas traditas ponenda est quaestio utrum schema placet in genere ut basis ulterioris discussionis.

Proinde nunc ponitur haec quaestio: Utrum placet schema *de apostolatu laicorum* ut basis disceptationis ulterioris?

Si placet schema, Pater cui placet velit surgere; si non placet, in sede remaneat. [*Intervallum*]. Ergo placet schema. Gratias.



## 5

EXC.MUS P. D. PAULUS SANI  
*Episcopus Denpasarensis*

*Venerabiles Patres,*

Nomine conferentiae episcoporum Indonesiae relate ad schema decreti *de apostolatu laicorum* sequentia proponere velim.

Textus noster novus, cum anteriore comparatus, sine dubio magnum progressum ostendit, tum quoad multa particularia, tum praesertim quoad ordinationem totius materiae. Nihilominus nobis videtur nova adhuc redactione indigere, quia modus loquendi sicuti hic habetur, iis non satis adaptatus esse videtur, pro quibus textus est destinatus. Nonnumquam textus adhuc impressionem concatenationis animadversionum relinquit, quae quidem singulatim verae et pulchrae sunt, sed in sua cohaerentia non satis clarificantur. Quaeri posset, an laici hunc nostrum textum ut de sua propria vita agentem agnoscere possint. Quamobrem quasdam observationes nobis facere liceat, quae emendationi sub hoc aspectu forsitan servire possint:

1. In initio, quo de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo agitur, scil. n. 2 schematis, per modum merae iuxtapositionis diversa enumerantur, quae ad apostolatam laicorum pertinent: oratio, patientia, testimonium vitae, amelioratio conditionum in variis societatis campis, testimonium verbi. Melius nobis videtur si inciperetur cum quadam descriptione propriae situationis vitae laicorum ut in medio rerum huius mundi hodierni versantium; tunc indicandae sunt in hac situatione, in earum cohaesione, tum exigentiae tum possibilitates apostolatus, qui est eorum vitae proprius.

2. Sed ut laici suam propriam vitam in textu recognoscere possint, insuper omnino necesse est, ut clarius, quam nunc fit, sermo fiat de themate, quod in schemate iterum atque iterum tangitur et pro tota materia peculiaris est momenti, quia ad propriam indolem status laicalis pertinent. Multis in locis textus loquitur de ordine temporali christiano spiritu animando. Sed nullibi explicatur, quid praecise his verbis intendatur nec ob quamnam rationem hoc opus ad ipsum laicorum apostolatam pertineat.

Praeprimis hac in re necesse est ut clare enuntietur hoc opus scil. apostolatus laicorum perfici, quando christifideles in rebus temporalibus sibi commissis suum proprium quotidianum officium, etiam modestum, in sua familia vel in vita professionali bene impleant. Immerito et



ansam confusio*n*i praebet textus dicens, in pag. 11, lin. 16, quod « laici *praeter* sua officia et munera quibus funguntur » etiam conferre debeant ad exsequendum consilium Dei... ita ut ordinem temporalem... spiritu christiano imbuant. Hoc enim facere debent laici non *praeter*, sed *in* ipsis suis officiis et muneribus.

3. Haec falsa locutio, quae est contra mentem ipsius schematis, tantum fieri potuit, eo quod nullibi expresse explicatur, quod consilium Dei in ordine temporali iam exsequamur, si operamur ut mundus, in quo vivimus, in suis magnis ac parvis dimensionibus ita efformetur, ut unusquisque homo in eo humane, decenter feliciterque vivere possit. Ad hunc autem effectum minime pervenire possumus, nisi spiritu christiano imbuti operemur.

4. Quoad rationem, propter quam opus, in ordine temporali faciendum, ad apostolatam laicorum pertinet, textus explicite tantum affert, quod Deus omnipotens universum mundum ad gloriam suam disposuit. His verbis revera finis primarius omnis operositatis in ordine temporali indicatur. Sed nondum explicatur ipsa ratio propter quam opus ad apostolatam pertineat. Tunc dicendum est quid ad opus evangelizationis et sanctificationis conferat.

Ad hoc explicandum claritatis causa distinguendum est quid ipsa activitas temporalis ut testimonium pro fine Ecclesiae valeat, et quid ipse effectus huius activitatis.

Quoad effectum dicendum est, quod mundus vel ambitus vitae sic efformatus, nempe ut homines in eo vere humane feliciterque vivere possint, talis mundus eo ipso promotioni vitae moralis et diffusioni fidei magis idoneus redditur.

Ne loquamur cum textu de « condicionibus, quae vitam humanam *possibilem* et *facilem* reddant », pag. 6, lin. 35, quia licet gratia Dei adiuvante vita christiana *possibilis* sit in conditionibus mundanis etiam *miserrimis*, vere *facilis* numquam evadere potest haec vita in hoc mundo. Hac in re tantum de creandis conditionibus vitae humanae et christianae magis favorabilibus et idoneis agitur. Ad hunc finem nos omnes operari tenemur. Deus enim mundum creavit ut donum sui amoris et ut gratiam ad salutem. Hoc donum in manibus hominum posuit, ut illi, socios homines in Deo amantes, suo labore mundum talem efficiant, qualem ipse Deus eum ad omnium hominum salutem dare voluerit.

Inde apparet quomodo ipsa activitas, quae mundum vere humanum reddere vult, suum proprium valorem *testimonii christiani* habet. Haec activitas enim debet esse *testimonium fidei*, qua nempe creditur Deum mundum pro salute hominum creasse, — *testimonium spei*, qua expectantes novam terram in adventu Domini, iam nunc laboramus ad mun-



dum Christo et Patri subiciendum in praeparationem et praefigurationem regni Dei, — *testimonium caritatis*, qua in Ecclesia amor ipsius Christi et Patris visibilis reddi debet.

Tantum si sic de opere temporali loquimur tamquam de labore, quo homines hunc mundum habitabilem reddere volunt, laici agnoscent, quod de eorum reali vita quotidiana loquamur. Curemus igitur ut sic loquamur ut omnes sua officia et possibilitates apostolatus nullibi quaerant quam in ipsa realitate suae vitae.

Cetera, quae adhuc animadvertere volo, scripto secretariatu tradam. Dixi.

---

*Textus additus:*

Novus textus, cum antecedente comparatus, sine dubio magnum progressum ostendit, tum quoad multa particularia tum praesertim quoad ordinem totius materiae. Quare libenter ut fundamentum discussionis Patrum conciliarium hunc textum acceptamus.

Nihilominus in multis paragraphis adhuc aliquae sunt perficienda vel emendanda. Nonnumquam enim textus adhuc impressionem relinquit concatenationis animadversionum, quae quidem singulatim sunt verae, pulchrae et ad rem pertinentes, sed non satis in sua cohaerentia clarificantur. Quia observationes, quae in hac re et in quibusdam aliis utiles putavimus, plerumque particularia attingunt, eas scripto secretariatu trademus. Unam autem hic proferre liceat, quia agit de themate quod in schemate iterum iterumque attingitur et pro tota materia tractata peculiaris est momenti.

Textus multis in locis loquitur de ordine temporali christiano animando. Et hoc opus etiam inter haec quae ad apostolatum laicorum pertinent, enumeratur. Sed nullibi explicatur quid his locutionibus praecise intendatur nec ob quamnam rationem ad ipsum apostolatum pertineat. Elementa huius explicationis iacent dispersa in schemate, sed quia nullibi in sua cohaerentia promuntur, verum contentum et valorem apostolicum huius operositatis textus non clare ante oculos ponit.

Praeprimis hic necesse est ut clare enuntiatur hoc opus impleri quando christifideles in rebus temporalibus sibi commissis suum proprium officium cotidianum, etiam modestum, in sua familia vel in vita professionali bene implent. Immerito et ansam confusionis praebens textus dicit quod laici « *praeter* sua officia et munera quibus funguntur » *etiam* conferre debent ad exsequendum consilium Dei... ita ut ordinem temporalem... spiritu christiano imbuant (pag. 11, lin. 16). Hoc enim facere non debent *praeter* sed *in* ipsis suis officiis et muneribus.

Haec locutio falsa, contra mentem ipsius schematis, tantum possibilis erat, quia nullibi expresse explicat quod consilium Dei exsequimur in ordine temporali, si operamur ut mundus in quo vivimus, in suis magnis et parvis dimensionibus, ita cultivetur et efformetur ut unusquisque homo in eo vivere possit humane, decenter, feliciter. Sed ad hunc effectum minime pervenimus, nisi operamur imbuti spiritu christiano i. e. in spiritu caritatis et servitii, secundum aestimationem rerum mundanarum vere christianam quae non tantum cum gratiarum actione eorum valorem positivum agnoscit sed etiam relativitatem horum valorum, se-



cundum principia moralia ad quae cognoscenda revelatio in Ecclesia, magistra vitae, tradita, multum valet.

Quoad rationem ob quam opus in ordine temporali faciendum ad apostolatium laicorum pertinet, textus explicite tantum affert, quod Deus omnipotens universum mundum ad gloriam suam disposuit (pag. 11, lin. 7). His revera finis primarius omnis operositatis in ordine temporali indicatur. Sed nondum explicatur ipsa ratio sub qua ad apostolatium pertinet. Tunc dicendum est quid ad opus evangelizationis et sanctificationis conferat.

Ad hoc explicandum claritatis causa distinguendum est quid ipsa activitas fidelium in ordine ad res mundanas ut testimonium pro fine Ecclesiae valeat, quid ipse effectus huius activitatis.

Quoad effectum dicendum est, quod mundus vel ambitus vitae sic efformatus ut homines in eo vere humane, decenter et feliciter vivere possunt, eoipso promotioni vitae moralis et diffusioni fidei magis idoneus redditur. Ne dicatur cum textu, quod ideo creantur « condiciones quae vitam humanam et christianam possibilem et facilem reddant » (pag. 6, linn. 34-35). Gratia Dei vita christiana possibile est in conditionibus mundanis miserrimis, et haec vita econtra in hoc mundo numquam vere facilis evadit. In hac re tantum agitur de creandis conditionibus vitae humanae et christianae magis favorabilibus et idoneis. Sed ad hoc operari omnino tenemur. Deus enim mundum creavit ut donum sui amoris et ut gratiam ad salutem.

Et hunc donum in manibus hominum posuit, socios homines cum Deo amantes, suo labore mundum talem efficiant, qualem Deus eum ad omnium salutem dare voluerit. Uno verbo, operando pro mundo vere humano, homines operant ad id quod ipse Deus ut gratiam dare voluit.

Et hic apparet quomodo ipsa activitas quae mundum vere humanum reddere vult, suum proprium valorem testimonii christiani habet. Haec activitas debet esse signum fidei, qua creditur Deum creasse mundum pro salute hominum; signum spei, qua expectantes novam terram in Adventu Domini iam laboramus ad subiectionem mundi Christo et Patri in praeparationem et praefigurationem regni Dei; signum caritatis, qua in Ecclesia amor ipsius Christi et Patris visibilis reddi debet.

Hoc ipsum testimonium in opere caritativo per prius elucescere debet. Sed in hac re novus textus adhuc negligit fundamentalem identitatem actionis caritativae et restorationis ordinis temporalis (pag. 12, linn. 15 ss.). Quamvis enim actio caritativa indolem testimonii eloquentioris praebeat et quoad effectum ob necessitatem leniendam urgentior appareat, tamen cum christiana actione temporali tum sub respectu testimonii tum quoad momentum apostolicum affectuum fundamentaliter convenit. Ab una parte nostris diebus necessitas profanae idoneitatis professionalis pro necessitatibus actione caritativa leniendis magis in lucem est prolata, ab altera parte nostris diebus patefactum est motiva propter quae actio caritativa in Ecclesia tanti aestimatur, etiam suo modo valere pro actione in ordine temporali in genere. Momentum huius affirmationis in eo est, ne haereamus in conceptionibus praeteriti temporis circa exigentias operis caritativi et eius nexus cum auctoritate hierarchica Ecclesiae.

*Animadversiones scripto traditae:*

Pag. 5, linn. 16-19: motiva ob quae apostolatus laicorum hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, in textu non sunt nisi negativa et aliquo modo

per accidens. Enumerentur etiam magis positiva ut nova conscientia de responsabilitate laicorum et maiores possibilitates apostolicae quae profluunt ex his quae in lineis praecedentibus enumerantur.

Pag. 5, lin. 25: loco « animas salvando » dicatur, praesertim in textu huius schematis propter materiam tractatam, « homines salvando »; est enim pro apostolatu laicorum maximi momenti quod Deus homines redimit et salvat secundum totam eorum existentiam humanam.

Pag. 5, linn. 3-6: explicatio sensus nominis « apostolatus » non complete correspondet materiae hic sub voce apostolatus tractatae. Etenim etiam actuositas in ordine temporali ut opus apostolatus consideratur. Quamobrem addi potest: « qua evangelium Christi annuntiatur et vita hominum Eius Spiritu imbuatur vel etiam ad hos fines spirituales condiciones favorabiles promoventur ».

Pag. 6, linn. 34-35: loco « vitam vere humanam et christianam possibilem et facilem reddant » dicatur: « vitae vere humanae et christianae potius faveant quam obsint ».

Pag. 7, lin. 14: hic ne omittatur cognitio fidei conditionis cuiusque congrua.

Pag. 7, lin. 34: omittantur verba « animarum vel », quia cura animarum laicorum est munus ordinarium sacerdotum et non aliquid speciale sicut cura associationum laicorum.

Pag. 8, linn. 7 ss.: quoad familiam textus tantum de ea loquitur ut subiectum apostolatus, non ut eius specialis « campus »; hoc autem contextus imprimis requireret. Ideo dicendum esset familias in hodiernis diebus specialiter apostolatum laicorum requirere propter problemata quae evolutio nostrorum temporum pro vita christiana familiarum secumfert. Solutio horum problematum enim per prius ab ipsis laicis, spiritu christiano ductis, est invenienda. Hoc autem non fieri potest per unamquamque familiam singulatim. Si opportunum iudicatur, ut familiae in quosdam coetus congregentur, tunc ratio praecipua est in adiumento quod sibi invicem praebere possint. Ad hoc accedit, quod pro familia seorsum sumpta perdifficile est facere quod christianum iudicat, si aliae familiae omnino aliter agunt. Agitur hic de necessitate christianisationis « ambitus » et sic dictae « mentalitatis » quae quidem restauratio ordinis temporalis implicat, sed simul alia, non temporalia, includit. Haec christianisatio ambitus, quae non nisi coniunctim realisari potest, enumeranda et elaboranda est ut ratio propter quam in genere formatio coetuum in ordine ad apostolatum laicorum maxime est commendanda.

Pag. 8, linn. 30-31: clarius exprimatur, quod participatio fidelium in vita liturgica et praesertim in Sacrificio Missae ipsa est actus apostolatus, quo aedificant Ecclesiam et paroeciam efficiunt communitatem fidei et de sua fide testimonium perhibentem. Insuper indicetur nexus huius participationis cum omni sustentatione, quam aliis in paroecia praebent vel praebere debent.

Pag. 9, linn. 1-8: vitae professionalis rationes, quamvis verae sint, nec solae nec maximae videntur in apostolatu qui strictos paroeciarum fines praeterit. Mundi hodierni socialisatio, migrationes, communicationis socialis media faciunt ut paroeciae magis magisque inter se dependant.

Pag. 10, linn. 23-25: loco « Apostolatu Ecclesiae... numquam defuit... collaboratio laicorum », dicatur: « In apostolatu Ecclesiae... numquam defuit actio laicorum... », ne verba innuere videantur distinctionem aliquam inter Ecclesiam et laicos.



Pag. 10, lin. 29: ob eandem rationem loco « laici Ecclesiam multimode adiuvant » dicatur: « in Ecclesia laici multimode concurrunt... ».

Pag. 10, lin. 31: loco « Immo laici, sua experientia et studio auxilium praebent Ecclesiae » dicatur: « immo, sua experientia et studio, laici multum conferunt ut Ecclesia... ».

Pag. 11, linn. 6-7: addatur: « cum Deus omnipotens universum mundum disposuerit ad gloriam suam *et ad salutem hominum* in plenitudine Christi Filii sui consummandas... », ut dicta melius cohaereant cum contextu de apostolatu laicorum.

Pag. 11, lin. 14: addatur: « ita quidem ut, integer manens in sua natura, lege morali, quam caritas perficiat, exstruatur et *ultimatim* ad Deum, per Christum, ordinetur », ut distinguantur in sua coniunctione finalitates diversi ordinis.

Pag. 11, lin. 16: loco « *praeter* sua officia et munera » dicatur: « *in* suis officiis et muneribus ».

Pag. 11, lin. 28: loco « Ad christianam ordinis temporalis instaurationem » dicatur « Ad instaurationem ordinis temporalis vere humani et divina caritate informati », ut omnis aequivocatio evitetur circa « ordinem christianum » (cf. titulum, qui mutari posset in: « De actione in ordine temporali secundum consilium Dei »).

Pag. 11, lin. 32: loco « Christianae ordinis temporalis instaurationi » dicatur: « Ad hoc opus in ordine temporali perficiendum et perfectioni ».

Pag. 12, linn. 10-14: dicatur: « Amor christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur etiam qualitates humanae quae a non credentibus maximi habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, prudentia, humanitas, rerum peritia ac sensus civicus; a natura etenim requiruntur, et ideo sine his nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest ».

Pag. 12, linn. 26-27: loco « munus proprium » dicatur: « munus sibi instantissime mandatum ».

Pag. 12, lin. 25: loco « instaurationem christianam ordinis rerum temporalium » dicatur: « instaurationem ordinis rerum temporalium secundum consilium Dei ».

Pag. 13, linn. 4-14: in hac paragrapho addatur aliquid de christianisatione ambitus, de quo supra ad pag. 8, linn. 7 ss.

Pag. 14, lin. 5: loco « etsi non omnes immediate finem habent apostolicum » dicatur: « etsi non omnes ad finem apostolicum sunt erectae ».

Pag. 16, lin. 28: loco « laicis in apostolatu militantibus » dicatur: « laicis in apostolatu operosis ».

## 6

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

*Archiepiscopus tit. Neopatreensis, coad. Delhiensis*

*Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Fratres,*

Ad schema *de apostolatu laicorum* quod sedula cura allaboratum, in genere placet ...<sup>1</sup>, haec annotare mihi est, nomine episcoporum Indiae.

Antequam ad laicos exhortatio de parte habenda in apostolatu Ec-



clesiae dirigitur, paucis saltem lineis fundamentum dogmaticum istius apostolatus populi Dei exprimitur. *Etiamsi alio in loco bene dicitur.*<sup>2</sup> Nam ex bene perspecto fundamento vere religioso, tota natura apostolatus illustrabitur.

Iam primam applicationem noto. Cum principia generaliora enuntiantur, magis insistatur in « typo » hominis, in figura quam christianus in mundo exhibere debet.

Lin. 23 refert ad orationem, ut manifestationem et alimentum spiritus apostolatus. Mihi videtur hoc non satis usque ad essentiam rei penetrare.

Christianismus est vita Christi in hominibus; est reviviscentia, reproductio, sub aspectu morali imitatio Christi. Itaque Christus erat utique verus homo, sed etiam verus Deus. Erat homo, et omnino normalis, et tamen prorsus differens.

Sic et christiani apparere debent ut homines quorum conversatio in caelis est. Qui utique in mundo sui temporis vivunt et totis viribus agunt, sed quorum vita aliam quoque exhibet dimensionem quam mysticam vocabo. Ad philanthropiam quantumlibet cordialem et effectivam, christianismus ne coarctetur. Licet christianismus in anteaetis saeculis forsitan nimis characterem transcendentem, extramundanum religionis asseruerit, nefas est nunc in oppositum excessum, nempe immanentismi incidere. Caveamus a religione, ut dicunt, mere horizontali, a quodam humanismo, religione quidem inspirato, sed tamen huic mundo haerente. Non tantum, ut par est, sacerdotum et religiosorum, sed etiam laicorum vere catholicorum nota, in oculis infidelium vel indifferentium characteristicam *nota*<sup>3</sup> esse debet, quod spiritu Dei repleti, in altiori quodam mundo vivunt.

Ideoque in n. 3 sacram Liturgiam annumerari velim inter modos formationis, non tam apostolicae activitatis, sed potius imaginis totalis christiani, qui in alios homines altam impressionem defigat, per suam unionem cum Deo, per suam pacem, serenitatem et constantiam in adversis, quia scit sibi repositam esse meliorem repromissionem. Liturgia enim unit cum Agno triumphante et Ecclesia caelesti. Si renovatio in Concilio decreta ad bonum finem ducitur, Liturgia esse poterit et schola et exercitium huius fidei, spei et caritatis de qua in par. 2, lin. 30.

Et non tantum in consortium vitae liturgicae aggregentur sed etiam in arte orandi et meditandi edoceantur, et quidem modo ipsis laicis proprio et apto.

Tertio, eandem visionem rerum ad ea quae in par. 5 de matrimonio et familia dicuntur extendi velim.

Etsi relatio pag. 36 remittit ampliorem considerationem de excel-



lencia matrimonii Novae Legis, hic ieiuno modo expressa, ad schema *de Ecclesia in mundo hodierno*, magis tamen positiva exhortatione, meo humili iudicio, hic opus est. Dicendum est familias vere christianas, secundum quod modo diximus, magis influere per id quod sunt quam per id quod, explicito apostolico motivo ducti, faciunt. Si de eis dicitur: « videte quomodo se invicem diligunt », luculentissime de Evangelio Christi testantur.

Coniunctim coniuges christiani hunc fundamentalem exercebunt apostolatatum testificandi de redemptione in sacramentis continuata.

Quomodo etiam in operibus apostolatus coniuges quam minime separandi sint, alius quidam frater episcopus Indiae magis concrete est expositurus.

Haec ergo sint dicta de imagine spirituali quam christiani in mundo exhibere debent.

Breviter nunc ad paragraphos ubi de diversis campis apostolatus sermo fit, sequentia annotare volo.

Gaudeo quod de cooperatione ad iustum ordinem sociale et oeconomicum instaurandum prius quam de operibus caritatis sermo fit. Uti que, Ecclesia et per instituta sua et per singula membra de adiuvandis infirmis et pauperibus semper sollicita fuit. Sed magis realisticae caritatis est, ipsas causas inopiae impugnare, i. e., prosperitatem oeconomicam et iustitiam sociale provehere.

Ideoque ubique terrarum in coetibus Actionis Catholicae et omnibus huiusmodi spargatur firma persuasio opus hoc iustitiae et progressus, tum in propria natione, tum inter nationes et partes terrae, summi momenti esse.

Si volumus ut quae de hac re in schemate « de Ecclesia in mundo hodierno » proponuntur echo inveniunt, opinio publica praeparanda est, clima cooperationis est creandum. Ideae in *Mater et Magistra, Pacem in terris* et in schemate XIII expressae omnibus familiares fieri debent. Hoc est munus summi momenti quod apostolatu catholico hodie incumbit, et fortasse mentione explicita in schemate dignum est, etiam, si opus sit, per paragraphum speciale...<sup>4</sup>.

Quinto *et ultimo*,<sup>5</sup> praecipue ubi catholici minoritatem constituunt, ad normam par. 21, cum acatholicis immo intra organisationes non confessionales et ab auctoritate civili erectas laborandum erit. Et tanto meliores cives se exhibere satagent, quo spiritu catholico inspirantur. Laicos hortemur ut haec faciant. Non debet Ecclesia status in statu esse.

Scio nos instinctive praeferre opera merae caritatis, utpote sub ductu solius Ecclesiae, et, sinceri simus, minore responsabilitate morali



patranda. Amplius, visus noster pateat. Si volumus sal terrae esse et fermentum in massa, audacter maiora aggrediamur. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> ut basis disceptationis. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> deest.  
<sup>4</sup> Quod autem ad actionem directam attinet, catholici, etiam in nationibus sese evolventibus, in prima acie progressum et iustitiam propugnent. <sup>5</sup> deest.

## 7

Exc.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL  
*Archiepiscopus Algeriensis*

*Patres venerabiles,*

Textus schematis in multis excellens est et laudandus. Haec tamen videntur dicenda ut adhuc melior fiat et magis accommodatus exigentiis apostolatus hodierni.

Ea quae humiliter proponam, nomine episcoporum Africae Septentrionalis, hausta sunt ex experientia laicorum qui vivunt in medio hominum non-christianorum.

Cum immensa gratitudine legimus in litteris encyclicis *Ecclesiam suam* Summi Pontificis Pauli VI, feliciter regnantis, apostolatum intelligendum esse ut « colloquium », seu dialogum cum omnibus hominibus. Audacter et ferventer Summus Pontifex invitat Christi fideles dicens: « Oportet nos primi petamus cum hominibus colloquium, neque expectemus dum alii ad colloquium nos vocent ».

Quia laici magnam partem habent in hoc dialogo, necessarium est ut breviter indicetur in hoc schemate theologicum fundamentum huius dialogi. Nec dicatur hoc argumentum remittendum esse ad schema XIII, nam agitur de re doctrinali, quae non solum valet pro nostro tempore quia universalis est. Hoc fundamentum *theologicum*<sup>1</sup> est duplex:

1. Christiani, et praesertim, ob eorum condicionem, laici, arctis necessitudinibus vincuntur cum diversi generis hominibus, non tantummodo professionis exercendae et structurarum iuridicarum gratia, sed profundius et intimius communitate ipsius vitae. Societas non componitur ex individuis externe consociatis, sed est « communitaria »; homines christiani et non-christiani, in ordine psychologico, culturali, morali, spirituali, participes sunt ...<sup>2</sup> earundem aspirationum et mentalitatum collectivarum ...<sup>3</sup>, earundem traditionum, eorundem gaudiorum et dolorum ...<sup>4</sup>, solidaritatis etiam in iisdem responsabilitatibus et obligationibus ...<sup>5</sup>.



2. Ecclesia in sua realitate mystica non clauditur intra fines suos visibiles. Spiritus Sanctus, qui est anima Ecclesiae, « replet orbem terrarum » ...<sup>6</sup>, modo invisibili incitans omnes homines ut ad lucem, pacem, vitam veniant. Homines non baptizati non sunt sine gratia, sine « valoribus » supernaturalibus; ex his valoribus nascitur solidaritas supernaturalis.

Ergo, sub utroque respectu, naturali et supernaturali, christiani non solum debent aliquid dare non-christianis, sed possunt et debent libenter ab iis accipere. In hac relatione mutui dati et accepti consistit praesertim dialogus de quo agitur. Consequens est ut saepe possimus et debeamus cum non-christianis cooperari ad regnum Dei promovendum.

Haec notio apostolatus non est nova sed antiquitus tradita, exprimens modo humano et supernaturali dignitatem personae humanae. Maxime necesse est, cum homines ad plenam veritatem veniunt, ut conscii sint seipsos in plenitudine libertatis agere et non deserere authenticos valores quos gestant; optime S. Augustinus scribebat: « Ergo venient ad Deum<sup>7</sup> non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo » ...<sup>8</sup>.

Mihi ignoscere dignemini; Patres venerabiles, si exemplum afferam: in praeparatione huius sessionis Concilii facta est in nostris dioecesibus consultatio populi christiani; sed haec consultatio, Deo favente, praetergressa est populum catholicum; homines diversarum religionum non pauci, vel sine religione, studio suo dignam esse duxerunt hanc consultationem; aliqui eorum quaestionibus positae responsa dederunt et quidem responsa omni laude digna.

Notandum est nexum profundum non deesse inter haec duo fundamenta dialogi apostolici; hoc non parvi momenti est ne nimis separemus fines apostolatus laicorum. Etenim in communiione naturali de qua prius dixi inveniuntur valores humani; sed valores humani non extranei sunt proposito Dei erga homines et tandem debent referri ad finem ultimum; ex hoc consequitur hos valores humanos non acquirere totam suam plenitudinem nisi per caritatem. Ex alia parte christiani ex caritate tenentur revereri valorem intrinsicum ordinis naturalis, utpote pertinentem ad propositum Dei et tendentem ad quamdam felicitatem humanam.

Ergo nexus inter utrumque ordinem fit per caritatem, et primo per caritatem fraternam. Caritas erga Deum ontologicè prior est, ut omnes norunt. Sed, ut innuit S. Ioannes in prima sua epistola ...<sup>9</sup>, caritas fraterna habet aliquam prioritatem; etenim per amorem fraternum authenticum fit manifestatio seu « epiphania » infiniti Amoris Dei. Ergo dum laici patienter et humiliter laborant ut in rebus huius mundi praevaleat amor fraternus, vere regno Dei promovendo dant operam ...<sup>10</sup>.



Liceat mihi breviter indicare quaedam consecutaria:

1. *Apostolatus collectivus* ...<sup>11</sup> non tantummodo ut elementum maioris efficaciae ...<sup>12</sup> praesentandus est, sed ut exigentia intrinseca vitae humanae et christianae ...<sup>13</sup>.

2. *Mandatum* quod a pastoribus datur ...<sup>14</sup> secumfert « propter necessitatem boni communis Ecclesiae » realitatem spiritualem, mysticam, scil. communionem intimiorem cum Ecclesia, sive cum hierarchia, sive cum ceteris fidelibus, quae communio pignus est gratiarum specialium et, ut experientia laicorum constat, gaudiorum interiorum quae constituunt pretiosum solamen pro iis qui adversa patiuntur propter regnum Dei.

*Conclusio.* Sufficeret ut paucis verbis in prooemio et in ceteris paragraphis exprimeretur hic aspectus dialogi cum prudentia instaurandi ut daretur huic vere bono schemati aliqua inspiratio et viva unitas. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> (Dolendum est in schemate supponi notionem nimis individualisticam personae humanae, quasi societas componeretur ex individuis « iuxtapositis », vel tantummodo consociatis structuris iuridicis. Aspectus « communitarius » videtur ignorari). <sup>3</sup> (Quadragesimo anno). <sup>4</sup> aliquando earundem perversionum (« déviations »). <sup>5</sup> (« engagements »). <sup>6</sup> (*Sap.* 1). <sup>7</sup> eum (Deum). <sup>8</sup> (De fide rerum quae non videntur, 7). <sup>9</sup> (*1 Io.* 4, 20). <sup>10</sup> non raro cum libenti cooperatione non-christianorum. <sup>11</sup> (nn. 8, 9, 20). <sup>12</sup> (valde optandum!). <sup>13</sup> 2. Necessitas et character specialis apostolatus in *proprio ambitu* non sufficienter apparent in schemate. Haec forma apostolatus respicit aspectum communitarium vitae humanae. (Sine dubio structurae sociales habent suum momentum; sed vita intima societatis longe maioris efficaciae est. Certe structurae sociales influunt in vitam hominum, sed non obliviscendum est has structuras ab ipsa vita oriri et effici; si hoc negaretur, haberetur notio materialistica societatis). <sup>14</sup> (n. 18).

*Emendationes additae:*

N. 3, pag. 7, melius esset adhibere vocabula « formatio apostolica » loco vocabulorum « formatio ad apostolatam », ne videatur haec formatio esse quid superadditum formationi seu educationi christianae. Pueri, iuvenes se praeparant ad apostolatam adultum apostolice vivendo in sua aetate.

N. 6, pag. 9: non sola professio extendit vitam christianorum extra fines paroeciae.

N. 9, pag. 10, lin. 17: loco « species », dicatur « aspectus ».

N. 10, pag. 10, lin. 34: quid sit apostolatus non religiosus, non spiritualis, difficile est intelligere.

N. 9, pag. 10, lin. 13, « animatio christiana ordinis rerum temporalium »; notandum est:

1. Hanc animationem, secundum missionem Ecclesiae, fieri per educatio-



nem et «mediationem» conscientiarum; per eam lex divina informat ordinem temporalem. Hoc pertinet intrinsece ad apostolatam, praesertim laicorum.

2. Institutionem structurarum socialium conformium dignitati humanae et proposito Dei non inclusam esse, saltem directe, in missione Ecclesiae; proinde christifideles, cooperantes ad hanc institutionem sub lumine fidei et doctrinae Ecclesiae, proprio nomine agunt.

*Secretarius generalis:* Communico exitum suffragationum, quas mane pereginus.

Circa cap. II *de Oecumenismo* integrum:

Suffragium dederunt Patres . . . . .	2.174
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	1.573
<i>non placet</i> . . . . .	32
<i>placet iuxta modum</i> . . . . .	564
Suffragia nulla . . . . .	5

Attamen modi, prout dictum saepe est, a commissione competenti examinabuntur.

En exitus suffragationis XII, quae est prima super cap. III *de Oecumenismo*:

Suffragati sunt Patres . . . . .	2.177
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.154
<i>non placet</i> . . . . .	21
Suffragia nulla . . . . .	2

Quoad suffragationem XIII:

Ex Patribus . . . . .	2.162
Dixerunt <i>placet</i> . . . . .	2.119
<i>non placet</i> . . . . .	39
<i>placet iuxta modum, ergo extra chorum</i>	4
et suffragia nulla . . . . .	0

sed sunt nulla suffragia priora, illa quattuor, nonne?

Tandem suffragatio XIV hunc dedit exitum:

Ex Patribus . . . . .	2.133
Pronuntiaverunt <i>placet</i> . . . . .	2.089 ... melius 2.088
<i>non placet</i> . . . . .	43
<i>placet iuxta modum, ergo nulla</i>	2

Ergo omnes tres textus suffragationibus subiecti placuerunt in congregatione generali. Ergo crastina fiet suffragatio super integrum cap. III. Gratias.



EXC.MUS P. D. MAURUS RUBIO REPULLÈS  
*Episcopus Salmantinus*

*Venerabiles Patres,*

Praesens schema *de apostolatu laicorum* mihi perfectius quam anteriora videtur, ideoque progressum et superationem importat.

*In genere*<sup>1</sup> mihi placet. Non perfecto tamen ordine exaratum apparet. Quaestiones enim differentes miscentur et confunduntur. Quaedam etiam est partitio non conveniens, et videtur aliquas notiones fundamentales non satis claras apparere.

Mea itaque interventio ad structuram generalem attinet, quae, ut censeo, ita ordinari deberet.

1. Esse oporteret caput quoddam introductorium, duabus partibus divisum, cui maximum momentum tribuo futurae delimitationi diversarum quaestionum.

a) *Descriptio pastoralis et sociologica laicatus*. Re vera laicus pastoraliter et sociologice definiendus est, ut persona essentialiter aperta, simulque ad duos respectus aut sphaeras distinctas respiciens: spiritualem (vel evangelizatricem ut a quibusdam hodie theologis vocatur), et temporalem (vel civilizationis, ut communi vocabulo utar); ideoque ut persona duarum vocationum, quae saepe pericula et discrimina creat.

Haec descriptio lucem praeberet paragrapho « pro parte sua missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent » (initio n. 31, cap. IV, schematis *de Ecclesia*) et melius et nitidius ostenderetur quod legitur in paragraphis sequentibus *cap. IV de Ecclesia*.<sup>2</sup>

b) *Natura activitatis apostolicae, necnon activitatis temporalis vel civilizationis*. His duabus vocationibus laici descriptis, fundamentale est ad totum schema intelligendum ut concise sed accurate tamen definiatur natura et officia harum sphaerarum.

In sphaera apostolica vel evangelizatricem, ut membra corporis mystici semper operamus et in operibus quae directe ad Deum et ad ea quae Dei sunt referuntur.

In ambitu vero temporali vel civilizationis agimus ut membra civitatis terrena et in his quae ad opus institutionis vel culturae in eis diversis respectibus tendunt. Et hoc quidem, quamvis haec activitas Deum ut finem ultimum quaerat ...<sup>3</sup>.



2. Post hoc introductionis caput, caput etiam dicandum oporteret quaestioni missionis laicorum in Ecclesia et alterum quaestioni missionis laicorum in mundo, quae illas duas vocationes laici supra descriptas comprehenderent.

In capite « Missio laicorum in Ecclesia » erunt significandi, veluti nucleus mihi videtur, qui multas confusiones futuras evanesceret, partitionibus opportunis, diversi modi apostolatus laicorum. Et imprimis definienda est quaestio maxime hodierna et disceptata missionis propriae laicorum in Ecclesia.

Meo quidem iudicio, si est missio propria vel specifica laici in Ecclesia, duo elementa fundamentalia inveniri debent:

a) Eo quod est missio Ecclesiae, necesse agendum est de actione quadam *apostolica et evangelizatrice*, stricte sumpta.

b) Quia specifica est apostolatus, esse debet non communitatis Ecclesiae ...<sup>4</sup>, quem sacerdotes exercent atque laici quamvis *diverso modo*, nec mera et simplex animatio christianae actionis temporalis. Aliis verbis, apostolatus esset *evangelizationis* ambitus socialis ...<sup>5</sup> idem ac apostolatus quo funguntur motus speciales (hispane « movimientos especializados » - mouvements spécialisés) Actionis Catholicae, sub hierarchiae mandato.

3. In capite dedicato missioni laicorum in mundo duae quaestiones praecipue agi deberent:

a) Vocatio temporalis laici ostensa in ligamine temporali (hispane « compromiso » - engagement), quod ille amplectitur proprio nomine, quin Ecclesiae ullum discrimen producat. Haec compromissi notio, quam intime schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* attingit, saltem summis lineis tractanda esset.

b) Animatio vel dispositio christiana rei temporalis, non satis apparet in hoc schemate. Dici in eo oporteret, quid sit, et quae eius elementa et adspectus praecipui ...<sup>6</sup>.

4. Postquam varii modi apostolatus laicorum et animatio christiana rei temporalis perspecti fuerint, videri poterunt maiore claritate, diversae formae associativae (cap. IV *de apostolatu laicorum*), quae, ut mihi videtur, triplicis tantum ordinis esse possunt: privatae (singulares vel collectivae), officiales (a hierarchia dioecesana vel a Pontifice recognitae) et iuris publici in Ecclesia. Haec postrema classificatio respondet his quae mandatum a hierarchia acceperunt.

Continuo, quin caput novum efformet, significari poterit relatio horum trium ordinum adassociationis cum hierarchia.



5. Maximi credo momenti esset caput schemati addere in quo Concilium episcopos, sacerdotes et religiosos universos exhortaret ut maxima cura vacarent cuidam apostolatu urgentioris necessitatis. Mihi nunc est in mente apostolatus cum operariis et apostolatus ruralis qui his diebus et multis in regionibus problema gravissimum in Ecclesia constituit. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> ad 32. <sup>3</sup> (cf. CH. JOURNET, *Théologie de l'Eglise*, pp. 307-308). <sup>4</sup> (n. 6 cap. II, *de apostolatu laicorum*). <sup>5</sup> (n. 7 cap. II, *de apostolatu laicorum*). <sup>6</sup> Pro tempore, in huius schematis disquisitione, si praesules mihi permiserint, has notiones fusius exponam.

## 9

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI  
*Archiepiscopus Montis Regalis in Pedemonte*

Schema huius decreti, tum ratione novitatis materiae in Concilio Oecumenico tractatae, tum ratione grandis expectationis in publica opinione inter argumenta conciliaria maximi momenti procul dubio est habendum.

Respondetne schema huic gravi functioni?

Qui in campo apostolatus laicorum speciali cura ...<sup>1</sup> sudavit et alsit, decretum conciliare de quo agimus studiosissime exoptatum expectatumque, fidenti animo perlegere coepit. At — dicam sincere, quamvis magna cum reverentia erga clarissimos viros commissionis, qui argumentum sane perdifficile aggressi sunt — textus exaratus spem illam non semper aluit. Quae enim in schemate leguntur — etsi permulta egregie sapienterque exposita sint ac proinde non modo probanda sed et laudanda — in contextu generali et aliquando etiam in singulis numeris rite considerata, quasi fragmenta hinc inde collecta videntur ...<sup>2</sup> ad efformandum opus musivum, quod nimia festinatione confectum, perpoliri evidenter non potuit quoad formam nec perfici quoad substantiam ...<sup>3</sup>.

Quamplurimae adnotationes fieri possent. Sed, ne Patrum comitate et patientia satis superque collaudata... abutar, haec *dicam breviter*.<sup>4</sup>

1. Sermo latinus *non* <sup>5</sup> satis semper accuratus ...<sup>6</sup> nec textu conciliari decorus videtur.



2. Textus haud raro repetitis vocibus et etiam ideis abundat. *Exempla tradam secretariae.*<sup>7</sup>

3. Schematis divisio in genere recipienda videtur, immo, *meo humili iudicio*,<sup>8</sup> pro systematica materiae tam latae tamque complexae ordinatione libenti animo gratias agendas esse, puto, commissioni.

*Observationes quoad puncta huius divisionis tradam secretariae.*<sup>9</sup>

4. Ad criteria accedens, quae intimius substantiam rei tam delicatae attingunt, haec notanda velim:

a) In relatione nostro schemati adnexa ...<sup>10</sup> et nunc repetita audivimus: « De consulto evitatur terminologia alicuius apostolatus in sensu stricto et in sensu minus stricto ad indicandam distinctionem inter munus apostolicum hierarchicum et laicorum, ne controversias doctrinales dirimere videatur » ...<sup>11</sup>. Criterium sane bonum — etsi non semper et ubique servatum! — at heic diceretur extra locum. Mea humili opinione, commissio poterat immo debebat syntheticam claramque distinctionem afferre inter apostolatum ex institutione divina proprium atque exclusivum sacrae hierarchiae, et apostolatum proprium laicorum, quin controversias doctrinales tangeret ac dirimeret. Distinctio illa, non modo opportuna sed necessaria apparet, tum ad aequivocationes vitandas haud raras etiam in literatura catholica de hac re, tum etiam ad viam logice sternendam tractationi de speciali illa apostolatu hierarchico cooperatione, quae Actionem Catholicam definit commendatque.

b) Ex hac observatione consideratio seu potius dubitatio oritur, quae vigilantia cura perpendenda est, cum influxum gravem habere possit in universo catholici apostolatus campo. In schemate praeoccupatio sane recta atque opportuna notatur ...<sup>12</sup>, scil. ius officiumque ad apostolatum ita connexum esse cum vocatione christiana, ut haec sine illo consistere non possit. Candide tamen fatear non eandem sollicitudinem me invenisse in schemate in commendandis formis apostolatus, et in primis Actione Catholica, quae magis immediate et directe ab auctoritate ecclesiastica pendent cum eaque cooperantur. Errare in hac mea impressione sincerissime velim, quia, si « apostolatus generalis » — qui omnibus nempe baptizatis et confirmatis est commune officium — et in specie apostolatus qui in rebus profanis expletur *per illam quae « consecratio mundi » dicitur*,<sup>13</sup> ultra modum extolluntur ac praeferrī quasi videntur, detrimentum absque dubio patietur apostolatus ille specialis, amplissimo honore gratoque animo dignus, qui hucusque fuit validissimum adiutorium nostrum quique paene innumeros laicos apostolos efformavit,



non tantum in servitium fidele et operosum actionis pastoralis sacrae hierarchiae, sed et in servitium inaestimabile ipsius civilis consortii.

c) Tandem, cum in schemate sermo fit de momento associativo in apostolatu, valor et necessitas organizationis atque unitatis tantum « positive » exponuntur et commendantur. Cur nulla mentio de valore, ut dicam, « defensivo » actionis apostolicae? Documenta pontificia et episcopalia in hac re prae oculis habent et christifidelibus ostendunt id quod in campo adverso fit, ubi hostes Ecclesiae verum exercitum ferrea disciplina connexum alunt ac roborant ad nos pugnandum semper paratum. Perneceesse est omnibus filiis laicis, praesertim iuvenibus, *venerabiles Patres*,<sup>14</sup> hanc duram veritatem sereno sed forti animo assidue revocare ...<sup>15</sup>: « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo » ...<sup>16</sup>; ne decepti quodam ingenuo optimismo et irenismo, deponnant arma prudentiae ac generosae cum *pastoralibus*<sup>17</sup> navitatis, dolentia Christi verba moerentis: « Filii huius saeculi prudentiores sunt filiis lucis » ...<sup>18</sup>.

*Concludo.* Humili meo iudicio, ut schema decreti *de apostolatu laicorum* approbari possit, penitus refundatur oportet, ita quidem ut documentum tanti momenti pro vita Ecclesiae tantoque studio expectatum, perspicuitate affluentiaque doctrinae, organica materiae dispositione, eloquii proprietate ac splendore, afflatu tandem sincere pastoralis effulgeat.

Quod postulat etiam nostra viva observantia paternaque animi affectio erga dilectos filios laicos, qui, in prosperis rebus et in adversis, una fide unaque spe et caritate nobiscum coniuncti in uno Christi mystico corpore, generosam, optatam sociamque operam navant « in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » ...<sup>19</sup>. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> atque amore. <sup>2</sup> et cumulata. <sup>3</sup> seu contentum. <sup>4</sup> tantum dicam. <sup>5</sup> — etiam iis qui, ut ego sum, in lingua Ciceronis non sunt versati! — nec. <sup>6</sup> nec mendis expers. <sup>7</sup> (v. g. pag. 11-12, verbum « ordo » saltem decies fastidiose legitur, ubi secunda periodus linn. 12-15 ita evolvitur, ut habeatur haec praeclara idea, quod scil. « ordo rerum temporalium... ordinetur »; item, in cap. V « de ordine servando » in apostolatu, idem verbum pluries repetitur, et quidem sensu diverso, cum notabili confusione; aliaque id generis exempla adduci possent). <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> Liceat vero aliqua, forsitan haud parvi momenti observare: a) non admodum placet titulus cap. I; loco « de laicorum vocatione apostolica » dicerem: « de laicorum vocatione ad apostolatatum »; quae dictio, ni fallor, magis consona esset titulo decreti et fortasse theologice magis accurata et propria; b) item commutandum censerem titulum primi numeri eiusdem capituli; cum locutio « de participatione laicorum in missione Ecclesiae », dum latine aliquatenus claudicare videretur, sub aspectu doctrinali in-



certa atque ambigua appareat; melius fortasse diceretur: « de laicorum parte in missione Ecclesiae »; c) titulus quoque secundi capitis, forma magis concinna propriaque, sic mutandus esset: « de variis apostolatus campis »; in eodem cap. II, titulus n. 6 « in Ecclesiae communitatibus » minime placet, eo vel magis quod in textu transitus fit a paroecia ad dioecesim et viceversa, causando non tantum molestiam, sed et aliquam confusionem: problemata pastoralia quae dioecesim vel paroeciam spectant, etsi intime connexa, distinctam postulant expositionem; unde proponere submissa voce audeo, quod de paroeciis et dioecesi numeris separatis agatur, ita ut cap. II ita ordinetur: n. 1 de campis apostolatus in genere; n. 2 in familia; n. 3 in paroecia; n. 4 in dioecesi; etc. <sup>10</sup> legimus. <sup>11</sup> (pag. 26). <sup>12</sup> quae insculpta quasi in mente pastorum et christifidelium remaneat. <sup>13</sup> (« consecratio mundi »). <sup>14</sup> deest. <sup>15</sup> cum apostoli monitione. <sup>16</sup> (Eph. 6, 13). <sup>17</sup> pastoribus. <sup>18</sup> (Lc. 16, 8). <sup>19</sup> (Eph. 4, 12).

*Moderator:* Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.